# D. GREGORII PLACENTINII

Ex Ordine S. BASILII MAGNI

# COMMENTARIUM

## GRÆCÆ PRONUNCIATIONIS

NOTIS IN VETERES INSCRIPTIONES,

*Et in alias nunc primùm editas locupletatum.*

A D

MIRTISBUM SARPEDONIUM

PASTOREM ÀRCADEM.



ROMÆ, MDCCLI.

Ex Typographia BERNABÒ, & LAZZARINI.

*Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

*Illm̃o, & Rm̃o Domino*

# D. JOSEPHO SCHIRÒ

## DYRRACHII ARCHIEP. &c.

GREGORIUS PLACENTINIUS
FELICITATEM.

TALEM *Opuſculum hoc ſibi Patronum adſciſcit, qualis cum primis es Tu*, ARCHIPRÆSUL AMPLISSIME: *aptiſſimus vide-*



Digitized by Google

*videlicet græcarum rerum Æſtimator, & Judex; ulloque partium ſtudio (quod Tua Sapientia eſt) minimè abreptus. Nam ut primùm ex pueris exceſſiſti, divinoque concitatus afflatu* SANCTI BASILII MAGNI *Familiæ dediſti nomen; Græcarum Litterarum Studia impigrum Te arripuiſſe accepimus: Et ſanè in eo Cœnobio, quod primò Eccleſiæ Orientalis Ritus, & deindè cumulatiſſimè ſervat. Tantùm verò in iiſdem proficiebas, quantùm poterat is, qui Albanenſe Judicium, erectumque ingenium ad bonarum Artium cognitionem afferebat. Quis enim ignoret, quantùm Albanenſes, quibus ipſe prognatus es, non dexteritate modò, bellicisque Artibus, verùm etiam generoſa indole, & ingenii acumine cæteris Nationibus excelluerint? Teſtes ſunt, ut cæteros omittam, Georgius Scanderbecus, & Georgius Baſta, qui dum*

*vi-*

Digitized by Google

*viverent, & multiplici eruditione claruerunt, & Turcici Imperii terror, Chriſtianique Populi fuere munimentum. Nil dicam, de nobiliſſima Albanorum Familia ex primoribus ejuſdem Gentis profecta, quæ ſingulari doctrina, præclariſſimiſque Clementis XI. P.M. geſtis, atque Viris Purpuratis etiam num inſignis exiſtit. Quare nemini profectò mirum videbitur, ſi Tu illius celeberrimæ Nationis indolem gerens, earum diſciplinarum hauſtu non leviter, ut plerique faciunt, ſumma labra tingebas; ſed cyahtis, ut ajunt, coronatis cupidiſſimum recreabas animum. Ex quibus hos demùm uberrimos cepiſti fructus. Vix enim Sacrarum Romæ Litterarum curriculum emenſus es, & perſpectas, planèque cognitas habuiſti controverſias, Eccleſiaſticos Ritus; aliaque id genus plurima: cum Te, qui jam recta, multiplicique do-*

*ctrina, prudentiam, & morum ſuavitatem conjunxeras; Sacra Congregatio, quam de Fide propaganda nominant, Apoſtolicum Chimarræ in Epiro, ut ajunt Miſſionarium delegerit. Quod equidem munus adeò piè, juſtèque per annos quatuor, & viginti explevisti; ut nil Te minæ græcæ Nationis Præſulum a S. Sede deſciſcentium, nil Te aſſidui itinerum labores, parcique cibatus rigor deterruerint; quo minus illius Gentis ſaluti, ſanæque doctrinæ ſtudioſius impenſiuſque proſpiceres. Et quia, ut optimè Tullius:* Ju*ſtus, ac honeſtus labor honoribus, præmiis, ſplendore decoratur: *iccircò a tribus Summis Pontificibus egregiis veræ virtutis æſtimatoribus ad ſpectatiſſimas Eccleſiæ Dignitates evectus es: Clemens ſiquidem XI. Te Apoſtolicum Chimarrenſium Miſſionum Vicarium publicis Litteris pronunciavit.*

* Lib. 1. de Orat.

*A Cle-*

*A Clemente verò XII. Dyrrachii Archiepiſcopus omnium approbatione es renunciatus: Tandemque ad Sacra ſolemniter , Rituque Græco peragenda in Divi Athanaſii Almæ Urbis Templo deſignatus a* BENEDICTO XIV. *acerrimi judicii Pontifice . Qua quidem Pontificum deliberatione nihil arbitror ad Tui gloriam excogitari poſſe præſtantius . Quod ſi Majores noſtri ſummis Viris Libros ſuos inſcripſerint, idque potiſſimùm fecerint*, cum argumentum Libri Perſonæ tali conveniret; *intelligis certè*, PRÆSUL SAPIENTISSIME, *quàm juſtè Libellum hunc Tibi dicatum velim, qui non de iis ſolùm, quæ in eo tractantur; ſed etiam de aliis gravioribus rebus rectum, exquiſitumque judicium habes. Accedit illa quoque cauſa, quod is magna ex parte munificentiæ tuæ fructus ſit, atque monumentum. Quin ego ſi adverſus Rev.*

Franc. Baconus lib. 1. de argu. ſcient. pag. 28.

*P.Fri-*

*P. Fridericum Reiffenberg S. J., qui ut Auctor modeſtiſſimus ſub Mirtisbi Sarpedonii nomine me ad ſcribendum incitavit; aliquid fortè ſuper Græcorum pronunciatione in eo evicerim: id ipſum Tibi attribuendum fateor. Tu enim religioſi Tyrocinii in Cryptoferratenſi Monaſterio olim Moderator, prima Linguæ Græcæ mihi tradidiſti rudimenta; meque recta illius Nationis pronunciatione imbuiſti diligentiſſimè. Accipies igitur, tuoque fovebis patrocinio Opuſculum hoc; eo magis, quod obſequium hocce meum erga Te probaverit Reverendiſſimus Cryptæfertæ Cænobii Abbas D. Epiphanius Staviſchi, totius quondam noſtri Ordinis Præſes Generalis; quem quum appello, Amicum Tibi appello probatiſſimum, Tuæque laudis, meorumque ſtudiorum fautorem. Vale.*

# IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. M. De Rubeis Archiep. Tarſi Viceſgerens.*

## D. BARTHOLOMÆUS DIMARCO

*Sacræ Theologiæ Magiſter, & Vicarius Generalis Univerſi Ordinis S. Baſilii Magni.*

CUM Librum, cui titulus = Gregorii Placentinii ex Ordine S.Baſilii Magni, Commentarium Græcæ Pronunciationis, Notis in veteres Inſcript., atque in alias nunc primùm editas locupletatum, ad Mirtisbum Sarpedonium Paſtorem Arcadem = duo noſtri Ordinis Theologi, & Græcæ Linguæ Profeſſores examinaverint; atque in lucem edi poſſe probaverint: nos ut typis mandetur, facultatem concedimus: ſi cæteris, quorum intereſt, videbitur.
Datum in Monaſterio Cryptæ-Ferratæ XVI. Kalend. Octob. MDCCL.

*Bartholomæus Dimarco Abbas &c.*

*Benedictus Gaudioſo a Secretis.*



Digitized by Google

# APPROBATIONES REVISORUM.

*Poſtridie Kal. Decembris* 1750.

QUUM juſſu Rmi Patris Sacri Palatii Magiſtri Joſeph Orſi attentè perlegerim hoc = *Commentarium Græcæ Pronunciationis D. Gregorii Placentini ex Ordine S. Baſilii Magni &c.* = nihil in eo reperi vel a noſtra Religione, vel a bonis moribus alienum, ſed ex Auctoris aliis etiam Libris apud Doctos commendati eruditionem, diligentiam, & in Græcis Litteris peritiam ſum demiratus; in quorum teſtimonium

*Joſeph Bottarius ſubſcripſi.*

JUſſu Reverendiſsimi Patris Palatii Magiſtri Joſeph Orſi expendi = Commentarium D. Gregorii Placentini Viterbien. de Græca Pronunciatione ad Mirtisbum Sarpedonium P. A. = & in eo ne minimum quidem deprehendi, quod rectæ Fidei, boniſque Moribus adverſetur. Quare quum in re ſæpè quæſita, atque agitata non ſolùm eruditè, & graviter reſponderit; verùm etiam ex penitiſsimis Græciæ adytis pleriſque inacceſsis nova multa protulerit, magna laude, ac publica luce dignum cenſeo.

*Franciſcus Marianus Bibliothecæ Vatic. Scriptor Græcus.*

I M P R I M A T U R.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri.

AD

# AD LECTOREM

Quod de incerto Librorum exitu ſcitè cecinit vetus Poeta Manilius, ſcilicet;

*Pro captu Lectoris habent ſua fata Libelli*: id Opuſculo noſtro *de recta græci ſermonis pronunciatione* eveniſſe comperimus. Siquidem P. Fridericus Reiffenberg e Societate Jeſu, quæ in ejuſdem Præfatione ea ſuper re ſenſeram, animum minimè advertens, non modò ſententiam noſtram infringere conatus eſt edito Libello ſub *Mirtisbi Sarpedonii* nomine; verùm etiam eò devenit urbanitatis, ut rationes, auctoritateſque a nobis in eam prolatas; ridiculas eſſe, falsò relatas; fideique ſubleſtæ diceret apertiſſimè. Quibus ſanè dicteriis ſatis declaravit idem P. Fridericus animum infirmis prorſus opinionibus obcæcatum ad legendum appuliſſe: & me, quod quidem minimum eſt nulliuſque momenti; & homines doctiſſimos, quod ipſi certè religioni eſſe debuerat, impotenti partium ſuarum ſtudio veritate poſthabita exagitaſſe. Quibus de cauſis cogimur, Lector benevole, eidem reſponſionem parare: ex qua primùm in eo, cujus me, alioſque Viros eruditos inſimulavit; ipſum manifeſtiſſimè lapſum

 in-

intelliges. Deindè novis rationibus, noviſque graviſſimorum hominum teſtimoniis, atque inſcriptionibus aliis, quam olim defendimus Græcorum pronunciationem; iterùm propugnamus. Et quamvis Quintilianus initio ſuarum Inſtitut. Orat. Cap. XII., ubi de litteris, earumque mutatione agit, rem hanc, quæ etiam a nobis in hocce Libello tractanda eſt; *non modò acuere puerilia ingenia, ſed exercere altiſſimam eruditionem, ac ſcientiam poſſe* perſpicuè contendat: tamen ne te minutiſſimæ hujuſce, & tetricæ propemodùm Minervæ capiat tædium; plurima exponimus, quæ ad veterum Inſcriptionum intelligentiam attinent: damuſque ab Ethnicis Chriſtianas Inſcriptiones diſcernendi rationem. Poſtremò ſingulas penè referimus Græcorum Scholas, eaſque præſertim, quæ Conſtantinopoli viguere. Ex his enim ad nos uſque veram, quam tuemur, Græcorum pronunciationem perveniſſe non obſcurè demonſtratur. Cæterùm cave putes, eam nos cum Platonica illa enunciatione, omnibus ſuis numeris perfecta componendam eſſe arbitrari: minimè gentium: at hoc unum, quam ſuſtinemus, priſcis monumentis, doctiſſimorumque hominum auctoritatibus magis convenire profitemur. Etenim *in rebus tam antiquis*, ut verbis Livii utar *ſi quæ ſimilia veri ſint, pro veris accipiantur, ſatis habeam*. Quod ſi quis nobis de ea me-

*Lib. 5. c. 21.*

meliora afferat, tum hæc Cypriani * verba libentiſſimè proclamabimus. *Non vincimur quando offeruntur nobis meliora, ſed inſtruimur.*

* Ep. 71. ad Quintum.

Ad ultimum meminiſſe nos, certò ſcias, benigne Lector, noſtræ Palæographiæ Cap. iv. ex *Ordinario* S. Bartholomæi IV. Abbatis Cœnobii Cryptæ-Ferratæ, quod Græci Τυπικὸν vocant, quodque penès nos aſſervatur; Lexicon Græco-Barbarum ſpopondiſſe Eruditis: at cum per litteras a PP. Congregationis S. Mauri miſſas certiores facti eſſemus, illud quondàm exſcripſiſſe totum doctiſſimum D. Bernardum Montfauconium, Notiſque illuſtratum edidiſſe; ab eo, quod jamdiù paraveram, ne actum agerem, abſtinendum eſſe putavi. Hoc te monitum eſſe, plurimùm curabamus. Vale.

# SYNOPSIS

## Commentarii Græcæ Pronunciationis.

§. I. *ISagoge.* num. I. pag. 1.
*Controverſiæ ſumma exponitur.* n. II. pag. 2.
*Sarpedonius graviter hallucinatur.* n. III. p. 3., & 4.
*De Platonis Pronunciatione.* n. IV. p. 5., & 6.
§. II. *Platonis locus pro ἦτα exponitur.* n. I. p. 6., & 7.
*Plato de etymologia potius quàm de pronunciatione loquitur.* n. II. pag. 8.
*Clarior ejuſdem loci explanatio.* n. III. pag. 9.
*Terentiani Mauri auctoritati reſpondetur.* n. IV. pag. 10.
*Euſtathii, & Suidæ inſignes loci pro voculis βαὶ, & βὴ ſuſtinentur.* n. V. pag. 11.
*Cur Attici Ovium ſonos non βαὶ, ſed βὴ dicant?* n. VI. pag. 12.
§. III. Ἧτα *pronunciandum eſſe ut* I *longum oſtenditur.* n. I. pag. 13. &c.
*Copti pronunciant ἦτα, ut* I. n. II. Ibidem.
*Syri eandem ſervant pronunciationem.* n. III. pag. 14.
*Ruſſi, Arabes, & Perſæ ἦτα ut* I *efferunt.* n. IV. pag. 15.
*Poſthabenda Terentiani auctoritas antiquioribus exemplis.* n. V. p. 15., & 16.
§. IV. *De litteræ* Y. *ſono, proque ea Latinorum auctoritates.* n. I. p. 16. 17. & 18
§. V. *De Diphthongorum pronunciatione.* n. I. p. 18., & 19.
*Plutarchi allata a Sarpedonio exempla pro Diphthongo* αι, *græca eſſe, non la-*

*latina demonſtratur.* n. II. pag. 19.

*Auctoritatibus Sarperdonius refellitur.* n. III. pag. 21.

*Earundem auctoritatũ conſectarium.* n. IV. pag. 22.

*Reliquæ Diphthongi quomodo pronunciandæ?* n. V. pag. 23.

*Thucydidis narratio de varia Athenienſium intelligentia vocis hujus* Λοιμὸς, & Λιμὸς. n. VI. pag. 24.

*Dionis ſimile exemplum profertur in vocibus* Ποιητικοὶ, & Πυθικοὶ. n. VII. pag. 25.

*Hieronymi, & Bedæ ſententia de Diphthongo* Y I. n. VIII. Ibidem.

*Diphthongus non duplicem reddit ſonum in pronunciatione.* n. IX. pag. 26.

§. VI. *De litteræ* B. *ſono reſpondente, non* B. *latino, ſed* V. *molliter prolato.* n. I. pag. 27.

*Adjiciuntur duæ auctoritates ex Suida, & Mario Victorino.* n. II. pag. 28.

§. VII. *De priſcis Inſcriptionibus, quæ contra Sarpedonium plurimùm faciunt.* n. I. pag. 29.

*Numiſmata, & veteres Inſcriptiones, quò conferant.* n. II. Ibidem.

*Ι'ῶτα pro ἦτα, & ἦτα loco* Υ. *exaratum, tribus Inſcriptionibus expoſitis evincitur.* n. III. pag. 30.

*Pauci ex multis ſeliguntur Lapides, in quibus ſimplices vocales Diphthongorum vices obeunt.* n. IV. pag. 33.

*Qualis ſit ſonus litteræ* B. *etiam Inſcriptionibus probatur.* n. V. pag. 36.

*Quid Catacumbæ, & Cæmeterium?* n. VI. p. 38., & 39


*Æta-*

*Ætate etiam Auguſti, non ſolùm Trajani, ut falsò putat Sarpedonius,* B. *per* V. *poſitum eſt.* n. VII. pag. 40.

§. VIII. *De Siglis in Lapidibus uſurpatis, quæ alphabetico ordine explanantur.* n. I. pag. 41.

A, & ω - A. A. A. F. F. - A D. *Anchora, & Aves quid in tumulis.* Ibidem.

B. *pro* V. B. M. F. - Ɍ *pro Br* - C. *loco num.* VI. CC. *replicatum* - CR - CV. - C. O. R. - CS. *Dolia*: Ð D. *quid ſonent in tumulis?* n. II. p. 42., & 43.

E. *pro* I., *&* E. O., *&* EID. *Equorum imagines*. FIL. *Frumenti modius.* n. III. pag. 44.

G. *loco* C Γ *loco* K - H - H. M. D. M. A - H. M. S. D. - *quid ſignificent? item* HER - H. M. EX. H. N. S. n. IV. p. 45., & 46.

I I. *duplex* i *ſæpè in titulis; & præponitur litteris his* SP. SC. ST. ⱧⱧ ☧ *explicantur.* Ibidem.

*Interpunctio aliquando omittitur, at non frequenter in Lapidibus.* n. V. pag. 48.

*Loco interpunctionis* ♡ 6., *&* o. pag. 49.

K. *pro Ca - & pro Kalendis* - L. *pro anno poſitum. Quid Ligones in Epitaphiis ſculpti? M. ſæpè in Saxis antiquis deeſt.* pag. 50.

N. *ſæpiſſimè deſideratur in voce Conjux, & Conſul.* n. VI. pag. 51.

*Cry-*

Digitized by Google

*Cryptamferratam immunem eſſe ab omni aeris impuritate oſtenditur contra P. Zuzzeri e Soc. Jeſu.* pag. 52., & 53.

N. *pro Nepos. Quid inſculpta Navis in Marmore notet?* p. 53., & 54.

O. *pro* V - O. P. *quid ſibi velit?* O. *gerit vices puncti.* OP. *in figulinis.* PC. PP. *explicantur.* n. VII. pag. 54.

P. *vice* B. - *Pedum effigies in Chriſtianis Sepulcris, ac etiam in Ethnicis exculpta. Piſces, & litteræ* PP. PK. PM. *in Lapidibus quid exprimant?* pag. 55.

Q - R - SP - S. T. T. L. - SVL n. VIII. p. 56.

T. TIT. *declarantur. Quid Sigla* ☧? D. P - D. M. S - Θ. K - *Tituli duo - Somno Heternali - Domus Aeterna, & ſimiles, an Ethnicis, & Chriſtianis adhibiti?* pag. 57., & 58.

*Regula diſcernendi Chriſtianas Inſcriptiones ab Ethnicis.* n. IX. pag. 59.

§. IX. *De Siglis Ethnicarum Inſcriptionum.* n. I. p. 59., & 60. &c.

D. M - DM. BVS - D. D. O - M. D. M. I. - I. O. M. - D. M. S - I. O. M. D - D. N. M. - B. D - M. B. M. - D. M. VIGI. *explicantur.* pag. 60., & 61.

*Non rarò in Ethnicorum Inſcriptionibus tituli deſiderantur.* pag. 62.

*Inſcriptio inedita propè Monaſterium Cryptoferratenſe reperta illuſtratur.* pag. 63.

VV. - VP - V. *ſingulare in Saxis.* V. *loco* I. *frequenter.* V. *pro* T - V. S. L. M.

*L. M. in monumentis quid? X. loco S.* Ibidem.
*Ex Inſcriptionibus poſitis contra Sarpedonium argumentum inſtauratur.* n. II. pag. 64.
*De* H, *quæ prius erat ſimplex aſpiratio, a Simonide in uſu litteræ poſita.* n. III. ibd., & ſeq.
*In quot litteras græcum Ita a Latinis mutatum eſt?* pag. 65.
*Controverſia dirimitur auctoritate Dionyſii Alicarnaſſ.* n. IV. pag. 66.
§. X. Ταυτοφωνία *Græcis vitio non eſt vertenda.* n. I. Ibidem.
*Eadem apud Latinos.* pag. 67., & 68.
*Quare major apud Græcos* ταυτοφωνία? n. II. pag. 124.
§. XI. *Linguam græcam in pronunciatione, & phraſi aliquid vitii contraxiſſe apud Plebejos, certum eſt.* n. I. pag. 69.
*Quænam fuerit ejus vitii cauſa?* n. II. pag. 70. &c.
*Græci per ſingula ferè ſæcula Scholas publicas habuerunt.* n. III. p. 71. 72. &c.
*Ipſi Latini Græciam adibant, ut Græcorum litteras addiſcerent.* pag. 73.
*Græca Lingua, ejuſdemque pronunciatio ætate delabi videtur; at eadem manet, ut facies hominis.* n. IV. pag. 74.
*Auctoritate M. Antonii Mureti idipſum firmatur.* pag. 75.
*Vernaculæ græcæ linguæ origo a popularibus eſt: qua de re tum Græca, tum Latina Lingua apud ingenuos homines non parùm vigent.* Ibidem.
*Noſtræ pronunciationis per totam Græ-ciam*

*ſiam diffuſæ initium ignoratur: hinc Antiquitatem præſefert firmiſſimæ traditionis.* n. V. p. 75., & 76.

*Iterum MS. Codicibus, Inſcriptione nuper reperta, & celebri Euſtathii loco noſtra pronunciatio propugnatur.* p. 77. 78., & 79.

*Apud Heterodoxos noviſſima pronunciatio magis viget, quàm* πατροπαράδοτος. n. VI. pag. 80.

§. XII. *Corollarium Sarpedonii confutatur, ſimulque evincitur ejuſdem pronunciationem noſtra non faciliorem eſſe, non veriorem, neque cum latino ſermone magis conſentientem.* n. I. pag. 81. &c.

Τὶ γὰρ Ἄνθρωπε τῶν γραμμάτων ἐξαρτύεις τὸν πόλεμον; Τὶ δὲ ὡς ἐν πυγμῇ συγκρούεις τὰς ἐκφωνήσεις αὐτῶν διὰ τὸν Ἀθηναίων ψελλισμὸν δέον σε λαλεῖν, φυσικώτερον; εἰ γὰρ ἀττικίζεις οὐκ ὢν Ἀθηναῖος, λέγε μοι τοῦ μὴ δωρίζειν τὴν αἰτίαν· πῶς τὸ μὲν εἶναί σοι δοκεῖ βαρβαρικώτερον, τὸ δὲ πρὸς τὴν ὁμιλίαν ἱλαρώτερον;

Cur enim, o bone, Litterarum bellum excitas, & earum pronunciationes tanquam in pugillatu, atticè balbutiendo, collidis, cum te magis aptè ad naturam loqui deceret? Nam ſi cum Athenienſis non ſis, ſermonem atticum affectas; dic mihi cur non doricum? Cùm alter tibi barbarus videtur, alter ad colloquia hilarior. *Tatian. Aſſyrius Orat. contr. Græcos num. 26. in fin.*

# COMMENTARIUM
## GRÆCÆ
## PRONUNCIATIONIS.

### §. I.

NOLO Mirtisbe Sarpedoni clariſſime gravioribus diſtentus curis, totum abs te editum diſcutere librum. (*a*) Sat mihi ſuperque erit haud nimio partium ſtudio, ſed ſolius veritatis vi correpto, potiores tuas in noſtrum de recta græci ſermonis pronunciatione opuſculum, animadverſiones pro virili parte refellere: ne Græcis tum intra, tum extra Urbem degentibus, tuæ nos opinioni ab Eraſmi ductæ temporibus aſſentiri videamur. I.

Ac primò quidem te ipſum monitum velim, ut cum evenerit, nos in re, de qua acturi ſumus, plurimùm diſcrepare ſententia; caritas tamen chriſtiana inter nos integra perſeveret in vinculo pacis. Etenim, ut ab egregio Poeta veriſſimè dictum eſt:

*Diverſum ſentire duos de rebus eiſdem*
*Incolumi licuit ſemper amicitia.*

Ut autem συντόμως, facillimèque cognoſcat Lector, in quo noſtræ controverſiæ ſumma vertatur; quid ipſe in præfatione meæ Epitomes græcæ Palæographiæ de recta Græcorum pronunciatione ſenſerim, hic repetendum ar- II.

Summa controverſiæ exponitur.

 bi-

(*a*) *Hunc præſefert titulum liber iſte*. Mirtisbi Sarpedonii Paſtoris Arcadis de vera Atticorum pronunciatione ad Græcos intra Urbem diſſertatio &c.

bitror „ Quod autem ad ſecundam operis partem attinet, duo videntur admonenda: primò ſcilicet in argumento nos verſari obſcuriſſimo, quippe quod ſcripto non poſſit exprimi. Deinde id omninò compertum videri, de veteri ac primigenia pronunciatione aliquid ſane interiiſſe; illam tamen optimam eſſe, quæ cum Veterum magis congruit monumentis. Id ſi noſtra in Diſſertatione factum reperient Lectores, veram ne per nos aſſecuti ſint pronunciationem; nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim &c. „ Hæc ego: quæ ſane quàm vera ſint, nemo unus eſt, qui ignoret. Steti etiam promiſſis erudite Lector, numis, inſcriptionibus, antiquis Codicibus; necnon graviſſimorum hominum teſtimoniis oſtendens, eam eſſe veram græci ſermonis pronunciationem, quæ toti ferè reſpondet Antiquitati; quaque etiam num ubique gentium utitur græcorum Natio: eam vero, quæ ab Adverſario noſtro eruditiſſimo defenditur, novam eſſe, ab Eraſmo duobus ab hinc ſæculis excogitatam teſte Cl. Voſſio Ariſtarch. lib. primo cap. XVIII., græciſque hominibus minimè uſurpatam.

III. Tu vero iis, Sarpedoni ornatiſſime, quindecim fere

Sarpedonius hallucinatur.

annis ab operis noſtri editione vehementer reclamas, meque cauſa cadere aſſeris apertiſſimè. Videamus igitur, ſi res ita ſe habeat; cominuſque pede collato conſeramus manum.

Initium ſit ab illis vocum derivationibus, quas ipſe

pag. 36., & 44.

pro tua humanitate *ridiculas* vocas, *falsò relatas*. *atque ſubleſtas*. Probare conatus ſum *Cap. II.* noſtræ Diſſertationis græcum η ut I latinum fuiſſe pronunciatum, pluribus etiam in medium prolatis exemplis, ex quibus eam litteram Latinos in i vertiſſe planum fit; atque a græco ῥῆγμα, *rima*, a δαψιλὴς *dapſilis*, a γεννητὸς *genitus* ob earum litterarum ſoni ſimilitudinem deduxiſſe. Hæc tu in primis pernegas Sarpedoni, deinde concludis, ignorare neminem, dapſilis a *daps dapis*, genitus, & genitor ab inuſitato *gene-*

*neo* proficiſci. Equidem ſatis mirari nequeo tuam hanc etymologiarum notitiam, quæ vel eos fugit, qui Lexica ſcripſerunt: quin ipſum Gerardum Voſſium, qui magna cum laude Etymologicum linguæ latinæ concinnavit, neſcire videmus, quæ tu tam pulchrè calles. At perlegas, amabo te, eorum lucubrationes, & ſine dubio invenies: *Rima &c.* (*a*) a ῥῆγμα, quod a ῥήγνυμι findo. Et *cum* (*b*) *daps prius fuerit dapis .... fortaſſè verius erit dapis, ſeu dapes eſſe a δαπάνη ..... δαπάνη vero eſt a δάπτω hoc eſt voro*. Et poſt pauca: *ab eodem eſt δαψιλὴς, unde dapſilis*. Nil dicam de eorum nominum *genitus*, & *genitor* derivatione, ut putas, a verbo *geneo*: (*c*) Ne videar velle te in græcis, latiniſque litteris verſatum ad ludum ducere pag. 36. Græcorum. Quum autem vocem *veſtis* ab ἐσθὴς me produxiſſe ſcribas, falſus omninò es; principio ejuſdem Cap. II. hoc retuli: Beza (*d*) autem quærit (qui certe a tua cauſa ſtat) *cur η a Latinis græca verba uſurpantibus nunquam mutetur in* I, *niſi fortaſſe in veſtis ab ἐσθὴς, ſed perpetuò in* E *vel breve, vel longum?* Quod ſi ego de hac re idem ſenſiſſem, rectè Sarpedoni ſenſiſſem. Etenim ipſum Terentianum Maurum, quem in Opella tua ſæpenumerò laudas, in eandem iviſſe ſententiam cenſet Voſſius. (*e*) En illius verba è capite de ſyllabis, ab eodem relata.

*Nominum multa inchoata literis vocalibus*
*Uſus Aeolicus reformat, & digammon præficit:*
*Aeolum dialectos etiam ferme miſta eſt Italæ.*
*Heſperum quem dico græcè, Veſperum cognominat,*
Εςία *ſic Veſta facta, Veſtis* ἐσθὴς *dicitur &c.*

 Per-

(a) *Voſſius Etymolog. Ling. Lat.* V. *Rima*, & *Jacobus Facciol. &c.*
(b) *Idem Voſſius* V. *Daps*.
(c) Noſter fortaſſe Sarpedonius *geneo* poſuit pro geno, quod eſt a verbo græco γείνω, vel γένω; ſive γενέομαι. Ex his fit γεννητὸς, a γεννάω verò γεννητὴς, & γεννήτωρ. *genitus*, nimirùm & *genitor*: uti ubique reddit Henricus Stephanus, V. γείνω, & γεννάω. Lege Voſſium V. *gigno*. Unde quid velit hocce ſuo verbo *geneo* penè inaudito, divinent Grammatici.
(d) *Par.30.* (*e*) *Etymolog.* V. *Veſtis*.

Perſpicuè etiam deciperis, dum ais; ſi Suidam conſuluiſſet Placentinius, inveniſſet *βίῤῥος*, non *βῆρος*. Ac ſi conſilium hocce tuum efficere poſſet. ne apud Dionyſium Exiguum, quem unum ego protuli, inveniatur vox hæc Βῆρος *Birrus* reddita in Canone Gangrenſi: quemadmodum apud Joannem Meurſium (*a*) legere licet Βηρίον *Birrus*, non *Berrus* redditum. Tandem tibi perſuadeas velim Dionyſium Halicarnaſſium (*b*) Algidum Oppidum modò *ἀλγιδόνα*, modò *ἀλγηδόνα* appellaſſe; niſi fortè aliquis recens Typographus eum ſcribendi modum licenter mutaverit. Pudet me reliqua perſequi: *Stultiſſimum quippe eſt*, ut ait Hieronymus (*c*) *docere, quod noverit ille, quem doceas*. Cæterum non inficias eo ab Eruditis dici *Paracletus*. Verùm etiam ipſe nobis concedere debes ab eruditiſſimis vocem *παράκλητος* latinè pronunciatam fuiſſe *Paraclitus*, a Hieronymo præſertim, ut mittam cæteros, qui eam in Scriptura vulgatæ editionis quater ita tranſtulit: *Paraclitus*: quater enim in Sacris Litteris ea vox tantummodò reperitur. Exempla verò, quæ profers ex vita Sanctæ Geltrudis, atque ex Innocentio III. lib. 2. *de myſt. Miſſ.* pro celebri voce illa *Kyrie eleiſon*, apud quos *eleeſon* legitur; cum oppoſitis exemplis, quæ in Liturgiis, ſacriſque libris, non quinquies, ſed millies extant; minimè ſunt componenda.

Vides jam, Sarpedoni ornatiſſime, cujus ſint illæ vocum derivationes ridiculæ, ſubleſtæ, falsòque relatæ: vides quàm facilè palmares illi errores, quos mihi objectas, in tenues evanuerunt auras! Facilè quidem eſt aliorum ſcripta cenſoriâ virgulâ notare, ſed haud eo ſimul capi vitio, quod lepidè Juvenalis (*d*) expreſſit verſiculo hoc:

*Dat veniam Corvis, vexat Cenſura Columbas.*

difficillimum. Non

(a) *In Gloſſar. græcobarb.* (b) *Eman. Zelin. Orat. 6. apud Voeſt.*
(c) *In Epiſt. ad Euſtoch. de cuſt. Virg.* (d) *Sat. 2. v. 63.*

IV.
De Platonis Pronunciatione. pag. 8. 15., & 41.

Non uno in loco profiteris, te de illa pertractare pronunciatione, qua olim Plato, Demoſthenes, aliique ſuaviloquentiæ Principes uſi ſunt; ſeu de ea loqui velle, (quod fere idem eſt) quæ ad aureum Platonis, Demoſthenisque ſæculum propius accedat. Id ſtatuenti illud Fabii (*a*) quis tibi opponere poſſet dicentis: *Fuerit pene ridiculum malle ſermonem, quo locuti ſunt homines, quàm quo loquantur.* Præterea illorum quidem auctorum habemus, Sarpedoni, eloquentiſſima ſcripta; habemus etiam Tullii, Livii, cœterorumque aurei ſæculi Scriptorum politiſſimas lucubrationes: ſed quemadmodum eas pronunciarint ex magna parte ignoramus: quod tute non diffiteris, opinor. Quis enim Platonis dicendi copiam, eloquendique ſuavitatem, quæ tanta fuit, ut Tullio (*b*) teſte: *Si Jupiter humana lingua loqui voluiſſet, non alia, quàm Platonis lingua fuiſſet locuturus,* aſſequi poterit? *Quis dubitet* (verba ſunt Quintiliani) *Platonem eſſe præcipuum vel acumine diſſerendi, vel eloquendi facundia divina quadam, & homerica? Multum enim illius oratio ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem Græci vocant, ſurgit, ut mihi non humano ingenio, ſed Delphico quodam oraculo videatur inſtinctus.* Quid de Demoſthenis, Ciceronis, & Livii ſuaviloquentia referam? In manibus ſunt libri Scriptorum ætate poſteriorum, in quibus eorum ſuavitatem ſatis laudare non poſſunt. Ex quibus apertiſſimè efficitur, ut non modò eorum phraſis, ſed etiam pronunciatio dulcior noſtrâ, atque perfectior fuerit, eaſque nos vix capere poſſe fatendum eſt; quia nobis etiam num ferè ignota ſit, atque inaudita. Quocirca dum conaris oſtendere, Sarpedoni, pronunciationem, quæ a te propugnatur, ad Platonis, Demoſthenisque &c. eloquendi rationem proximè accedere; tam difficilem capis provinciam, ut nullum habitura ſit exitum. Quod ſatis

tis

(a) *Lib. 1. cap. 6.*

(b) *Apud Marſil. Fic. in Vita Platonis.*

tis Auctor (a) Scholiorum in *Clenardi* inſtitutione *de novis enunciandi formulis* declarat verbis his *Prorſus ſunt incerti, quo pacto Priſci hæc pronunciarint, & conjecturæ ſunt admodum jejunæ, quibus fides non eſt adhibenda, niſi prius Priſcorum aliquem ab inferis excitarint*. Hæc tamen quaſi tibi non refragarentur, Platonis pronunciationem te ſcire, alioſque docere poſſe non obſcurè indicas hæc ſcribens,, Claudetur tota diſputatio brevi diſquiſitione, an ſuppoſita etiam tanquam vera, quam traditurus ſum, theoria, ad Platonicam potius, an ad receptam hodie inter vos pronunciandi rationem præſtet ſe aſſuefacere ,, O virum verè græcum, quamvis haud in Græcia natum, aureoque Platonis ſæculo digniſſimum! ego verò non tam multum in iſtis rebus intelligo, quàm multa vidi; atque iccirco de perfectiſſima illa, abditaque felicioris ævi Platonis nimirum, Demoſtheniſque &c. pronunciatione nulla in meo opuſculo verba feci, contentus eam judicare meliorem, quæ cum veteribus, variiſque monumentis magis congrueret; non quod repererim ideò Priſcorum pronunciationem, minimè Sarpedoni: verùm ſi ab ea longè ego diſtem, tu certè longiſſimè aberres.

*pag. 9.*

## §. II.

I. Platonis locus pro ἦτα expenditur.

VEnio nunc ad eum Platonis locum, qui tibi eſt inſtar arcis munitiſsimæ, in qua nec vinci te, nec capi poſſe plurimùm confidis: Ex qua etiam in me oppugnando te geris:

*Qual Capitan, ch'oppugni eccelſa Torre*
*Infra Paludi poſta, o in alto Monte*
*Mille aditi ritenta, e tutte ſcorre*
*L'arti, e le vie: &c.*

En tanti Auctoris verba, ut a te fideliſsimè recitantur.

Οἶδα

(a) *Apud Voſſ. Orat. 5.*

Οἶθα ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι τῷ ἰῶτα, καὶ τῷ δέλτα εὖ μάλα ἐχρῶντο. καὶ οὐχ ἥκιστα αἱ γυναῖκες, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι· νῦν δὲ ἀντὶ μὲν τοῦ ἰῶτα ἢ ε ἢ ἦτα μεταστρέφουσιν· ἀντὶ δὲ δέλτα ζῆτα, ὡς δὲ μεγαλοπρεπέστερα ὄντα· ΕΡ. Πῶς δή; ΣΩ. οἷον οἱ μὲν ἀρχαιότατοι ἱμέραν τὴν ἡμέραν ἐκάλουν, οἱ δὲ ἑμέραν, οἱ δὲ νῦν ἡμέραν. ΕΡ. ἔστι ταῦτα. ΣΩ. οἶθα οὖν, ὅτι μόνον τοῦτο δηλοῖ, τὸ ἀρχαῖον ὄνομα, τὴν διάνοιαν τοῦ θεμένου. ὅτι γὰρ ἀσμένοις τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἱμείρουσι ἐκ τοῦ σκότους τὸ φῶς ἐγίγνετο, ταύτην ὠνόμασαν ἱμέραν. ΕΡ. φαίνεται. ΣΩ. νῦν δέγε τετραγῳδημένον οὐδ᾽ ἂν κατανοήσαις, ὅτι βούλεται ἡ ἡμέρα· pag. 15.

„ Noſti Majores noſtros litteris his jota, & delta frequenter uti ſolitos: Mulieres vero maximè, quæ priſci ſermonis ſonum purius conſervant. Nunc vero litteras ι, & δ ita deflectunt, ut pro jota utantur epſilo, vel eta; pro delta vero zeta, quaſi magnificentius quiddam hoc pacto ſonent vocabula. HERM· Qua ratione? SOCR. Vetuſtiores nempe dicebant *ἱμέραν*, alii *ἑμέραν*: nunc verò *ἡμέραν*. HERM. Ita ſanè eſt. SOCR. Vides igitur antiquum hoc nomen ſaltem oſtendere inſtitutoris mentem, atque ſententiam, quod nimirum ſumma hominum voluptate, illiſque *ἱμείρουσιν* (id eſt deſiderantibus) lux è tenebris extiterit, ideo *ἱμέραν* vocarunt. HERM. Videtur. Nunc verò *ἡμέρας* vocabulum tam audaci, inſolentique mutatione detortum eſt, ut quænam ſit illius notatio, & ſibi velit, minimè poſſis perſpicere „

II. Plato de Etymologia potius, quàm de Pronunciatione loquitur.

Quibus ipſe continuò ſubdis „ Hunc certè locum cur tot Viri eruditi prætermiſerint, non intelligo „ Qua in re Sarpedoni vehementer a veritate deflectis. Etenim non eſt prætermiſſus, ſed ab Eruditis ad veritatis præcepta perpenſus in celebri Baſileenſi Academia; a Cl. præſertim *Joanne Rodolpho Weſtenio*, ut infra videbis. Ego ipſe, quamvis multo minor ſim, quàm ut cum eruditis hominibus conferri auſim; noſtræ diſſertationis pag. 128. in me-

medium protuli, non integrum tamen, fateor, ſed quantum ad meum inſtitutum pertinere videbatur. Hoc unum veriſſimum eſt: aliter te, ac Eruditi ſentiunt, Platonis locum intelligere. Et ſanè advertere debebas, Sarpedoni clariſſime, in eo Dialogo non equidem de pronunciatione, ſed nominum potiſſimùm ſignificatione, atque etymologia agi a Platone. Quod doctiſſimus *Marſilius Ficinius* ad argumenti *Crat.* explicationem declarat his verbis. *Hic autem ea ratione nomina fabricat, qua Artifex uſurus nominibus exigit, atque inſtituit. Talem verò eſſe Plato vult Dialecticum. At ille, qui fabricat ad ipſam rei ideam, mente conceptam, in qua vera conſiſtit ratio nominis, competit nomen, certa quadam ſignificatione præditum. Atque hæc ipſa idealis ratio, ſignificatioque, verum eſt nomen; monetque idem circa rem eandem in quacunque litterarum materia fiat apud quaſcunque Gentes, modò quid res ſit; doceat diſcernendo &c.* Vide etiam ſis *Gerardum Voſſium*. (*a*) Sed eſto, locutus ſit Plato etiam de Græcorum pronunciatione, quid ex eo concludere vis Sarpedoni? Scilicet, quum ſis veritatis amator, locum illum æquè facere contra utroſque noſtrum: facit namque contra me, quia, ut ipſe autumas, non diſtinguo in pronunciatione ἱμέραν ab ἡμέρα, ſeu ſonum τοῦ ι a ſono τοῦ η: erit igitur pari ratione contra te, quia confundis ἱμέραν cum ἡμέρα, ſeu quod idem eſt, ſonum τοῦ ε, cum ſono τοῦ η: hanc enim litteram effers, ut E laxum. Continuò reſpondes; abs te pronunciari η ſono non perinde exili, & tenui, ſed graviori potius, itaut magnificentius quoddam hoc pacto ſonent vocabula. Ferè eadem & ego tibi repono: ἰῶτα nimirum exiliùs quàm η a me pronunciari, itaut tenuius ſonent vocabula, in quibus reperitur ι, quàm ea, in quibus eſt η. Adde, quod ſicut littera Z τοῦ Δ vices geſſit, quia illa quaſi compendium eſt litterarum ΣΔ, vel ΣΣ, vel

(a) *Philog. 11. §. pag. 35.*

vel ΤΣ, & modo quodam in ſe continet Δ; ita littera ι geſsit vices τοῦ η ob ſonum utrique ferè communem. Vide *D. Bernardum de Montfaucon* in ſua Palæograph., ubi agit de littera Ζ, & *Voſsium* artis grammat. libr. 1. cap. 21. Audi nunc loci illius interpretationem ex *Cl. Weſtenio*, quem ſupra laudavi „ Quod verò jam tempore Platonis ι longum ad tonum minus clarum deflexerit, facilè ex eodem loco eſt oſtendere. Ibidem enim teſtatur, priſcos Græcos litteris Ι, & Δ maximè uſos eſſe; & ἡμέραν diem ſono exili pronunciaſſe: ſed poſterioris ætatis homines ἰῶτα, vel in ε, vel in ἦτα commutaſſe, & ſono μεγαλοπρεπεστέρῳ, ſeu *clariore* protuliſſe, & loco δ, ζ, adhibuiſſe. Mox qua ratione id actum ſit, diſtinctè tradit: ſcilicet homines antiquiſsimos ἱμέραν per ἰῶτα, medios ἑμέραν per ε; ſed ſui ævi homines ἡμέραν per η, ideſt tono intermedio inter ε, & ι, adeoque ex utroque mixto pronunciaſſe: Quod ipſum tamen brevi tempore duraſſe neceſſe eſt, cum ſtatim poſt tempora Alexandri Macedonis η more Græcorum priſcorum in exilitatem tenuiſsimam delapſum ſit, ſicuti variis argumentis id probare ſuo loco annitemur. Ne verò quemquam noſtra ſententia offendat; cogitet, eundem ſonum in E latino Quintilianum obſervaſſe, dum ait: *In Herè neque E planè, neque I auditur*. Hinc *Gellius* teſtatur. *Veteribus conſuetum fuiſſe litteris* E, *&* I *plerumque uti indifferenter* „

Ex quibus omnibus colligere proclive eſt, eum Platonis locum noſtræ pronunciationi nihil officere, eâ præter cætera potiſsimùm ratione, quod *tam audaci, inſolentique mutatione τῦ ἰῶτα* in η hoc in vocabulo ἡμέρα, quæ una ipſi plurimùm diſplicebat, ut *quænam ſit illius notatio, & quid ſibi velit minimè poſsis perſpicere*. Manifeſtum eſt igitur, Sarpedoni, non de ſoni confuſione harum litterarum ι, ε, & η. ſed quia poſita hac littera η loco τοῦ ι, vel ε in voce hac ἡμέρα non poſſe ἔτυμον inveniri, III. Clarior ejuſdem loci explanatio.

doluiſſe Platonem: Id autem magis clarum fit ex eo, quod ibidem ille ſubdit: *Quamquam arbitrantur nonnulli ἡμέραν dici, quod ἡμερα, ideſt manſueta quæque efficiat.*

IV. Terentiani Mauri auctoritati reſpondetur. pag.17.

Platonis auctoritati ſubjicis Terentiani Mauri verſiculos hos:

*Litteram namque* E *videmus eſſe ad* ἦτα *proximam,*
*Sicut* o, *&* ω *videntur eſſe vicinæ ſibi:*
*Tempore momenti diſtant; non ſoni nativitas.*

Optimè quidem Terentianus; verùm quonam modo E ſonaret apud Latinos, nihil dicit. Attamen id jam didicimus ex Quintiliano, & Gellio nuper relatis. Nunc autem videamus oportet, an Auctores poſterioris ævi illis aſſentiantur. Prodeat Eraſmus ipſe (*a*) novæ pronunciationis princeps, & inventor, qui, ut quoſdam Scotos pro E, I ſonantes audiverit, addidit ſtatim: *Ne is quidem novus eſt error. Siquidem Victorinus Afer objurgat Diſcipulos ſuos, quod* E *verterent in* I, *& rurſus* I *ſcriberent per* E. Quod certè minimè factitaſſent, niſi dubia ſoni pronunciatione fuiſſent decepti. Donatum (*b*) verò ſcripſiſſe accepimus: *Propter cognationem* E, *&* I *litterarum non dubitaverunt Antiqui heri, & here dicere, & mane, & mani, & veſpere, & veſperi.* Juſtus autem Lipſius (*c*) nonne memoriæ hæc prodidit? *Reperio ſonum tenuem, ſed obſcurum, mixti cujuſdam, ſed ambigui inter* E, *&* I *effatus. Ab hac incerta elatione, incerta item Scriptura veterum, qui, eodem Fabio teſte, quaſi, & quaſe ſibi promiſcuè ſcripſere. Sed & in lapidibus ab hac cauſa reperio, navebus pro navibus, exèmet pro exèmit.* Præſtat iterum audire Gellium (*c*) & Quintilianum (*d*): quorum alter „ Extremam, inquit, iſtius vocis (Quinti) ſyllabam tum per E, tum per I ſcriptam le-

(a) *Apud Vveſt. Orat. II. pag.30.* (b) *In Phorm. act.1. ſc.1.*
(c) *De pron. L. Lat.* (d) *Noct. Attic. lib. x. cap.24.*

legi; nam ſane quàm conſuetum iis veteribus fuerit, litteris his plerumque uti indifferenter, ſicuti præfiſcini, & præfiſcine, proclive, & proclivi, atque alia item hoc genus variè dixerunt. „ Alter verò ait: „ E quoque I loco fuit. ut Menerva, leber, Mageſter, ut Dijove, & Vejove pro Dijovi, & Vejovi. In here neque E plane, neque I auditur: nos nunc E littera terminamus; at veterum Comicorum adhuc libris invenio heri ad me venit „ Quocirca, ſi veritas tibi cordi eſt Sarpedoni, omninò fateri debes, non ſolùm nihil certi colligi poſſe ex eo Terentiani loco, quo exilem ſonum τοῦ ἦτα ſubvertas: verùm etiam eum nobis potius favere ingenuè aſſeverabis.

V. Euſtathii, Suidæ inſignes loci pro voculis βαὶ, & βὴ ſuſtinentur. pag. 45.

Jam porrò te clamantem audio: *Ad Achillem P. Placentinii ventum eſt; ad Euſtathii nempe, & Suidæ, ut eos vocat, inſignes locos &c.*, quæ quidem verba æquè obtundunt me, ac celebris tuba illa Enniana, dum ita increpat:

*At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.*

Videamus itaque quid nobis incommodi afferat apparatus iſte tuus: ſcilicet ut infringas, quæ Cap. II. pag. 128. noſtræ Diſſertationis aſſeruimus; ad probandum anniteris, Ovicularum ſonos a Græcis per βαὶ, & βὴ ſignificatos, non eſſe voces VE, & VI molliter expreſſas; ſed ut ais, meliori fortaſſis jure *Bai*, & *Bee*. Ecquis unquam ſodes, oves *Bai* clamitare audivit? eam potius vocem Catellis tribuendam, quàm Bidentibus dixerim. Quum verò illas *Bee* ſonare affirmes, vim facis voculæ huic βὴ, oſtendiſque ſimul, te nòn bellè eorum ſententiam, quam propugnas; intelligere. Volunt enim plerique ἦτα E laxum eſſe, non duplex *ee*.

VI. Cur Attici Ovium ſonos non βαὶ, ſed βὴ dixerint.

Non eſt autem, cur miremur; Atticos Ovium ſonos non βαὶ, ſed βὴ dixiſſe: namque quum Animalium vox minimè articulatim emittatur, a variis Scriptoribus variè

 etiam

(a) *Lib. 1. inſtit. Or. cap. 5., & 7.*

etiam reddita eſt. Hinc ab Euſtathio, & Capræ, & Cervorum hinnuli, necnon Lepores dicuntur μηκάδες: At ab Heſichio eædem Capræ μίκλαι nominantur; quòd hoc Animantis genus obſcurum quendam ſonum ad I accedentem edere idem exiſtimaverit. Redeamus ad Oves, quæ licet Latinis ipſis belant, & balant; Doribus βλάχυσι, Phrygibus μὰ faciunt Heſichio teſte: tamen cl.Chekus aliter ſentire viſus eſt, quum ſcripſerit: quamvis Ovis latinè balare dicatur, non ideo efficitur, ut græcè non βλήχειν per E longum pronuncietur.

Cætera ab Ovium cuſtode accepi, tenellos Agnos, dum ubera Matrum ſugunt *Vi*, grandiores verò factos *Ve*, & interdum etiam *Be* molliter ſonare.

## §. *III.*

I. Ητα pronunciandum eſſe ut I longum oſtenditur.

PRoximum eſt, ut oſtendam litteram η ut I a Græcis fuiſſe pronunciatam; & talium quidem Scriptorum auctoritatibus, ut iidem qua doctrina, qua antiquitate, ferè omnes ſuperent, quos in contrarium adduxiſti. Ab Homero Poetarum Principe exordium ducamus. Euſtathius ejuſdem Poetæ celebris commentator ob variam ſonorum ſimilitudinem in vocibus variè exaratis elegantiam homericam non ſemel laudibus proſequitur, quam παρήχησιν interdum ἀναιδῆ ſeu *licentiorem*, interdum ὑποπαρήχησιν, & ψευδοπαρήχησιν ſeu *moderatiorem* appellat. Hanc ſonorum convenientiam inter η, & ι reperit in Rapſodia Iliadis homericæ quinta in vocibus his ἤτοι, & ἶτυς, & undecima in 'ρ' ἶσον, & ῥῆσον, ἴμεν, & ἤμεν: item in XV. in ἦριν, & ἶριν, quæ παρήχησις tam venuſta ei viſa eſt, ut pluribus in locis aſſerat diſertè, hæc duo in ſono prorſus convenire; ſed ſignificatione, ſcribendique modo plurimùm diſtare inter ſeſe. Ad tertium autem Odiſſeæ librum apertiſſimè fatur ἥβην, & ἶβιν *nihil in-*

*inter ſe commune habere niſi ſolam pronunciationem.* Οὐδὲν τὶ κοινὸν δίχα μόνης ἐκφωνήσεως ἔχουσιν ἡ ἥβη καὶ ἡ ἶβις, ὡς οὐδὲ ἡ ἥρη, καὶ ἡ ἶρις· Hæc autem & eorum ſimilia Euſtathius non in Theſſalonicenſibus, ut tu Sarpedoni falsò putaſti, ſed in ipſo Homero græcæ linguæ parente fœcundiſſimo ſe inveniſſe profitetur. Euſtathio Conſtantinus Laſcaris aſſentitur, qui in Iliadis ϑ. verſu 56. ὑσμῖνι pro ὑσμίνη; & ἀλκὶ pro ἀλκῇ in ejuſmodi Iliadis E verſu 299. poſita eſſe notavit: quemadmodum apud Callimachum ἐν δωδῶνι, pro ἐν δωδώνῃ idem Auctor invenit. Liquet igitur, qua fuerit ἦτα ab antiquiſſimis Græcis ratione pronunciatum. *pag. 45.*

Quod verò reſpondes erudito P. Velaſtio ejuſdem tuæ præclariſſimæ Societatis Jeſu, qui tibi ea ſuper re ſcrupulum injecit: illud profectò nihil eſt. Quis enim, amabo, in verbis his *erei* & *iri*; *edesàn*, & *edeiſan*, *erei*. & *ere*, ad quæ nos vocas; agnoſcet παρήχησιν? quæ tum fit, ut nos docet Hermogenes *(a) quum plures litteræ, aut ſyllabæ eundem ſonum reddant!* Inconſultè fortaſſis annominationem Latinorum cum pura Græcorum παρηχήσει permiſces. *pag. 47.*

Ille quidem pronunciandi τοῦ ἦτα modus in more poſitus eſt, inſtitutoque eorum, qui a Græcis litteras didicere. Hinc Copti veteres Ægypti Incolæ non modò ἦτα *Hida*, verùm etiam β, ζ, & θ, *Vida*, *Zida*, & *Thita* nominant, uti eruditiſſimus Waltonus *(b)* animadvertit; & licet cernere in Montfauconii *Palæograph. libr. 4. pag.* 312., ubi ab Auctore abſolutiſſimum datur Coptorum Alphabetum. Quo autem tempore litteras a Græcis mutuati fuerint Copti, non una eſt Scriptorum opinio. Waltono veriſimilius eſt, Græcorum γράμματα Alexandri Magni, & Ptolomæorum tempeſtate in Ægyptum invecta

II. Copti pronunciant ἦτα ut I.

(a) *Apud Joan. Scapulam V.* παρήχημα.
(b) *C. 2. proleg. in Bibl. polygl.*

cta : Si tuo Athanaſio Kircherio (*a*) credamus, Coptorum litteræ græcis antiquiores ſunt: quod equidem ab Eruditis minus approbatur. Voſſius (*b*), verò Coptorum linguam tum innotuiſſe arbitratur, cum Arabis Ægyptus ſubjecta fuit. At illud apud omnes certiſſimum eſt Coptorum litteras antiquiſſimas eſſe, & potiſſimùm græcas.

III. Syri eandem ſervant pronunciationem.

Peræque ſententiam noſtram firmant Syri: hi ſiquidem poſt fauſtam Alexandri Macedonis expeditionem in Aſiam litteras, voceſque Græcorum minimè ignotas habuere; imo, ut tradidit clariſſimus Dedieu (*c*) ſuarum vocalium figuram, & poteſtatem e vocalibus græcis parumper, aut fere nihil immutatis effinxerunt. E numero vero vocalium quinque ſelegiſſe conſtat: nimirum A, E, H, O. Y: ita tamen ut prima priore pede decurtato  pro A, ſecunda figura erecta deorſum converſa  pro E, tertia verò tranſverſè poſita  pro I, quarta  pro O, & quinta  addito puncto pro V eiſdem inſerviret. Jam vero ſi Syriacas veteris Teſtamenti ex fonte hebræo, & novi ex fonte græco verſiones, quæ reliquas omnes poſt Chriſtum factas teſte cl. Lamy (*d*) ſuperant antiquitate; conſideremus: innumera pene exempla ſe nobis offerunt, in quibus η græcorum per I effertur. Pauca nobis exponere ſufficiat. Κρήτη Creta inſula illis dicitur *Criti*, Ἀθῆναι, & Ἀθηναῖοι *Athinus*, & *Athineje*. Κλήμης Clemens *Climis*. Nomina vero hebræa in ηλ deſinentia in il convertunt, ut *Gabriil Juil &c.*

Quid plura? retenta voce παράκλητος, *Paraclita* dicunt.

IV. Ruſſi, Arabes, & Perſæ ητα ut I efferunt.

Quid de Ruſſis referam? qui quemadmodum a Græcis

(a) *Dizion. del Clamberj. L. c.* (b) *Ibidem.*
(c) *In Gramm. Orient. p. 16.*
(d) *In appar. biblic. lib. II. c. XII. p. 420.*

cis Fidei chriſtianæ præceptis imbuti ſunt, ita & litteras ſcribendique rationem acceperunt ante octo minimùm ſæcula? Legeſis Olearium, (*a*) qui acceptarum litterarum figuras ſcitè ſculptas exhibet, inter quas aſpicies certè græcum η I loco eſſe iiſdem Ruſſis. Mitto Arabes, qui licet notas tantùm numerorum, ut doctiſſimi (*b*) Huetii ſententia fert, a Græcis hauſerint; tamen η græcum in græcis vocibus per I exprimere ſolent Syros imitati: unde *μιτυλήνη*, *μίμηλος*, *φῆλιξ*, & *φιλιππήσιοι* &c. eiſdem eſt *Militini*, *Militan*, *Philics*, & *Philibiſiin*. Mitto Perſas, quorum linguam, & Ægyptiam frequenter, facilèque condiſcebant Græci (*c*): eos enim litteram H in I ſuum convertiſſe teſtis eſt Joannes Henricus Hottingerus (*d*). Mitto denique Clementem Alexandrinum, (*e*) Juſtinum Martyrem, (*f*) atque Theophilum, (*g*) quibus *Chriſtiani* Κρηςοὶ re, & nomine dicti, habitique ſunt; atque adverſus Ethnicos familiaris fuit elegans *παρήχησις* ob ſoni affinitatem vocum harum *χριςὸς*, & *χρηςὸς*.

Noveris, opinor Sarpedoni, exemplis hiſce antiquiſſimis (*h*) Terentiani Mauri incertæ ætatis Scriptoris, Perſii, Juvenalis, Martialis, atque Auſonii auctoritates eſſe poſthabendas, quæ cæteroqui noſtram tibi videbantur ſententiam convellere. Quod ſi dixeris, jam tum ſcilicet Coptorum, Syrorum &c. ætate græcam pronunciationem fuiſſe corruptam; potiori dicam ego ratione magis illam fuiſſe vitiatam Terentiani, Martialis &c. tempore, ut qui ævi

V. Terentiani auctoritas poſthabenda antiquioribus exemplis.

(a) *In Hodeporico p. 174. edit. I.*
(b) *Demonſt. Evang. prop. 4. p. 187.*
(c) *Huetius prop. 4. p. 178.*
(d) *Apud Paulum Vvierzium Orat. 7. in Collect. Vveſt.*
(e) *Lib 1. στρωμ. p. 268.* (f) *In Apolog. 2. pro Chriſt.*
(g) *Lib. 1. ad Autolycum.*
(h) *Auctoritatem Terentiani pro ῆτα §. 11. n. iv. retulimus. Perſii verò hæc eſt ſat. 4.* Et potis eſt vitio nigrum præfigere theta. *Juven. ſat. 14.* Hoc diſcunt omnes ante alpha, & beta puellæ. *Mart. l. 5. epig. 26.* Dicas licebit Beta me Togatorum. *Auſon. tandem.* B. dividuum Betæ moniſyllabon italicum B., ut *ipſe Sarpedonius refert. p. 32. 33.*

ævi longè poſterioris Scriptores fuerint, atque inter Latinos; apud quos, Romæ præſertim græcam linguam obſoleviſſe, minimique ea tempeſtate habitam tradit Baronius (*a*). Qui præterea fieri potuit, ut pronunciationis vitium tam ſubitò, tam universè, per tot gentes, & nationes nemine ex græcis reclamante pervaſerit? Crediderim potius Sarpedoni tot populorum in hac re conſenſionem omnibus pronunciationem noſtram omninò veram oſtendere, atque firmare. Etenim ut optimè Tullius: (*b*) *Tantus tot ſæculorum, doctiſſimorumque hominum conſenſus veritatis vox ipſa eſſe videtur*.

## §. IV.

I. De litteræ Y ſono. pag. 37. 38.

SEquitur, ut de littera Y verba faciamus. eam ſono reſpondiſſe V. conſonanti Latinorum exiſtimas Sarpedoni; idque auctoritate Terentiani Mauri confirmas: ſiquidem ex litteris his A, I, Y, tertiam Latinos non habere aſſerit. En ejus verba.

*Tertiam Romana lingua, quam vocant* υ, *non habet.*
*Hujus in locum videtur* u *latina ſubdita*,
*Quæ vicem nobis rependit interim vacantis* y,
*Quando communem latino reddit, & græco ſonum.*

Ex quibus ego verſiculis oppoſitum quid tuæ ſententiæ primùm colligo: nam ſi Romana lingua litteram Y non habeat, conſequens eſt; eandem non ſonare ut V latinum. Aliter dixiſſet falsò Romanos Y omnino carere. Quod tamen veriſsimum eſt eodem Terentiano dicente:

*Nihil Auſoniis eſt opus* Y *ſonare*.

Quum autem ſcribat idem Auctor, litteram V vices rependere vacantis Y, communemque latino reddere ſonum: videamus, oportet, qualis fuerit ſonus eidem litteræ V. Priſcianus (*c*) in primis hæc habet: Y, I, & V cer-

(a) *Ad ann. Ch. 45. p. 287. Vide etiam Juv. ſat. 16.*
(b) *T. 4. de conſol. 634. E.* (c) *Lib. 1. c. 2.*

*certis in locis eundem ſonum habent*. Magis videtur nobis favere Gaſpar Scioppius (*a*) verbis hiſce: Y *græcam eſſe vocalem omnes norunt, eam Latini per* V *efferebant, ſed tertio ejus ſono, qui ad ſimilitudinem* I *accedit*. His annumerare potes Juſtum Lipſium qui (*b*): *Hic autem*, inquit, *deprehendas & alterum ſonum ad* I *accedentem, qui in iſtis proxumus, optumus, lacrumæ, manubiæ, gula: Ideoque* V *ipſum pro* I *uſurpatum crebrò, præter legem, & uſum in lapidibus, ut ſtupendia, pro ſtipendiis, ſtuplæ pro ſtiplis*. Audiſtin' varium ſonum litteræ V attributum? Audiſtin' græcum Y a Latinis ad ſimilitudinem I pronunciatum? Nil ergo erravimus, quum in noſtra Diſſertatione pag. 129. ſcripſerimus Y inſtar I eſſe pronunciandum. Ea ſiquidem littera nihil aliud eſt, quàm τȢ I pinguioris ſonus. Unde Marius Victorinus (*c*) poſtquam V. apud Latinos novam eſſe litteram demonſtravit; hæc continuò ſubjungit: *Apud Græcos autem eſſe* ΚΥΩ *cum* I, *&* O, *non dubito*. Et ſanè in antiquiſſimis libris KIO pro ΚΥΩ fuiſſe ſcriptum veriſſimum eſt. Ex quo parem in utroque ſonum arguere potes. Verùm nobis exempla vel remotiſſimæ vetuſtatis, quibus idem evincitur, minimè deſiderantur. Euſtathius (*d*) ſupra laudatus ad Iliad. E. verſ. 724. ſoni ſimilitudinem notat in vocibus his ἤτοι, & ἴτυς, inquiens ἔχει τι κάλλυς διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παρήχησιν τȢ ΗΤΟΙ, καὶ τȢ ΙΤΥΣ. *Habet in ſe venuſtatem quandam ob eundem ſonum harum vocum* ἤτοι, & ἴτυς. Eodem modo η cum υ confert in vocibus μέλη, & μῆλον, ἀλύω, & ἀλήτης ad Od. η. v. 14., & ad Od. σ. v. 332. adjicitque τὸ ἀλύεις μετὰ τȢ ἀλήτȢ ἔοικε παρηχεῖν. *Videtur idem ferè ſonare*. Ab Athenæo (*e*) verò, qui ſecundo Chriſti ſæculo floruit, Sophoclem peculiari quadam ſcribendi ratione

C pro

(a) *In Gramm. Philoſoph.* (b) *De pron. L. L. p.46.*
(c) *Apud Montfav. Palæograph. p.245.*, *& p. 256.*
(d) *Pag. 599.*, *& 1849.*
(e) *Lib. 2. dipn. c.28.*

pro *κυνάρα*, *κινάρα* uſurpaſſe traditum eſt. Quin hæc duo in ſententiam noſtram retulit Feſtus: (*a*) ſcilicet: *Dacrimas pro lacrimas Livius ſæpè poſuit, nimirum quod Græci appellant δάκρυα*. Et alibi (*b*) *Ocimum græcum, ocius & ociſſimè poſitivum latinum non habent; ſed ab eo veniunt, quod eſt in græco ὠκύς*. At dices fortaſsis cum Riveto *exerc*. 14. *in Geneſ. pag*. 74. *Difficile eſt, præſertim currente lingua diſcernere inter* ι, *quo pronunciantur tres litteræ, & una Dipthongus*. Reſpondeo in tanta litterarum, & vocum eodem ferè modo ſonantium copia quacumque pronuncies ratione id evenire. Sic in tua ſententia ἀληθής maſculinum ab ἀληθές neutro, δαῖς a δάϊς &c. non diſtinguitur: ſi *alethes*; ſi *dais* pronunciandum ſit. Quamobrem quid per ι vel η, vel υ ſcribere debeamus, diligenter animadvertendum.

## §. V.

I. De Diphthongorum pronunciatione.

JAM nobis Sarpedoni, latiſſimus diſputandi aperitur campus, de Diphthongis nimirum, quas tu ſine diæreſeos beneficio in pronuciatione perperàm diſſolvis. Hanc ego materiam hiſtoriolis quibuſdam, ne tibi, meiſque Lectoribus faſtidium pariam, pertractans illuſtrabo: *amœnitates* enim, ut ajebat Plinius, (*c*) *ſtudiorum quærimus*. Ac primò Plutarchi auctoritatem, quem in tuam ſententiam locutum eſſe arbitraris, expendere neceſſe eſt. Plutarchus igitur Sympoſ. lib. IX. part. 3. hæc habet. Τὰ γὰρ ὔτε τῷ ἰῶτα δεύτερον, ὔτε τῷ Υ ταττόμενον ἐθέλει ὁμολογεῖν, ὐδὲ ὀπαδεῖν, ὥστε συλλαβὴν μίαν ἐξ ἀμφοῖν γενέσθαι, ἀλλ᾽ὥσπερ ἀγανακτῦν, καὶ ἀποπιδῶν ἰδίαν ἀρχὴν ζητεῖν ἀεί· ἐκείνων δὲ ὁποτέρῳ αὖ βύλῃ προτασσόμενον ἀκολυθῦντι, καὶ συμφωνῦντι χρῆσθαι, καὶ συλλαβὰς ὀνομάτων ποιεῖν

pag. 38., & 39.

(a) *Lib*. 4. *p*. 47. (b) *Lib*. 13. *p*. 136.
(c) *In præfat. Hiſt. Nat.*

ποιεῖν ὥσπερ τοῦ ἄυειον, καὶ τοῦ ἀυλεῖν, καὶ τοῦ αἴαντος, καὶ τοῦ αἰδεῖσθαι, καὶ μυρίων ἄλλων.

*Hoc enim* ( ideſt Alpha ) *neque ſecundum a* ἰῶτα, *neque ab ypſilo collocatum vult conſentire, neque ſequi, quo ex utriſque una fiat ſyllaba: ſed veluti indignans, & reſiliens proprium ſemper principatum requirat. Præpoſitum verò utrivis illarum* ( litterarum ) *alterutra ſequente, & conſonante utatur, & ſyllabas nominum efficiat: ut horum* ἄυειον, ἀυλεῖν &c., *& aliorum penè innumerorum.*

Ex quibus fit ἄλφα poſtpoſitum tum ι, tum υ nunquam reddere ſyllabam unam, ut perſpicuum eſt in ἴα *violæ*, & in ὑάς *byas* &c.. Cum autem illis proponatur litteris, vim ſequentis vocalis elidere, neceſſe eſt; ſive unam ex illis conſonantem reddat, ut planum fit in diphthongo vocis hujus ἄυειον, in qua υ tanquam v conſonans pronunciatur, aut etiam ut molle f: ſive alterius ſonum ſibi prorſus uniat, ac in unam veluti vocalem coaleſcere faciat, ut in diphtongo αι, quæ cum pronunciatur ut e laxum, ſonum ἰῶτα minimè audimus; ſed in ipſa τοῦ ε laxitate ἄλφα, & principatum ſervat, & vix auditur. Haud enim fieri poteſt, ut ἰῶτα conſonans evadat, ſi vocalis ipſum non ſequatur, ut in αἰδεῖσθαι, & in aliis: adeoque ſi ex Plutarcho Alpha utitur τῷ ἰῶτα ſequente, & conſonante, par eſt, ut conſonet eo, quo poteſt modo, non ut una cum Alpha ſonet, ſicut ipſe interpretaris.

II. Plutarchi ex- empla a Sar- pedonio allata græca eſſe, non latina demonſtra tur. *pag. 39.*

Atque hic idem Plutarchus duo in te reprehendit, primum eſt, quod ſcripſeris latina eſſe exempla, quæ ab eodem eo in loco referuntur: proh hominum fidem! Quis non videat hæc ἄυειον, ἀυλεῖν, αἴαντος &c., quæ unicè in medium ille protulit eſſe omninò græca? Alterum eſt, quod ſi in αι exempli cauſa tua retineatur pronunciatio, eæ litteræ non *unam*, ut ille vult, *ſuo obſequio facient ſyllabam*: Tu enim eam diphthongum ita eſſers *ai*.

 Quod

Quod ſanè & ſæculo Chriſti octavo maximè improbatum eſt, ut Glycas (*a*) græcus Scriptor apertiſſimis narrat verbis: Νικήτας τὶς εὐνοῦχος τὰ πρῶτα φέρων παρὰ τῷ Κοπρονύμῳ μηδὲν ἄλλο εἰδὼς ἢ ἐσθίειν, ἢ πίνειν χειροτονεῖται Πατριάρχης· οὗτος ποτὲ τὸ εὐαγγέλιον ἀναγινώσκων ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαῖον, ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαίον ἐξεφώνησεν· ἐφ' ᾧ καὶ τὶς τῶν παρισταμένων εἶπε, μὴ διαίρει τὴν αι δίφθογγον· πρὸς ὃν ἐκεῖνος ἔφη μετὰ θυμοῦ. τὰ γὰρ δίφθογγα, καὶ τρίφθογγα πολλὰ μισεῖ ἡ ψυχή μου.
*Nicetas quidem Eunuchus Imp. Copronymo imprimis charus, ſed adeo rudis erat; ut nihil aliud noſſet, quàm edere, & bibere: Patriarcha creatus, & quum hic aliquando Evangelium in Cellula ſua recitaret, loco dicendi ſecundum Matthæum, ex Evangelio ſecundum Matthaium pronunciavit. Cuidam autem ex aſtantibus ea ſuper remonenti, nimirùm ne* αι *diphthongum divideret, iratus reſpondit: diphthonga, & triphthonga animus meus vehementer odio habet.*

Idem ſibi reſponſum habeant hæc Terentiani verba, quæ clariſſima tibi videntur:

*Et ſonos utroſque jungit, unde diphthongos eas*  
*Græciæ dicunt Magiſtri: quod duæ junctæ ſimul*  
*Syllabam ſonent in unam, vique gemina præditæ,*  
*Semper effectum duorum temporum cuſtodiunt.*

*Pag. 18., & 39.*

Unum ex cl. Gatakero (*b*) ſupradictis addimus: ſcilicet fieri non poſſe, ut duæ vocales unam in ſyllabam duos jungant ſonos; cum unaquæque vocalis ſyllabam per ſe neceſſariò conſtituat. Unde quando placet Auctoribus, ut audiatur uterque ſonus, utuntur diæreſi: ideoque & in pronunciatione vim diphthongus geminam ſervat, & in ſcriptura vitandæ confuſionis cauſa. Relege, quæ de hac re ſcripſi in noſtra diſſertatione pag. 131., & 132.

Ne-

(a) *Part. 4. Annal. p. 284.*
(b) *In diſſert. de bivocalibus.*

Digitized by Google

Neve quæ in locos Plutarchi, & Terentiani diximus, ea nos temerè dixiſſe cenſeas Sarpedoni. Habemus pro illis exempla, habemus auctoritatem hominum doctiſſimorum. Unus Empiricus (*a*) omnem tibi ex animo ſcrupulum hac ſuper re, ſi bona cum venia eum audiveris, certiſſimè evellet. Eſt enim Scriptor græcus, impensè doctus, & antiquiſſimus: floruit nimirùm ſæculo Chriſti ſecundo. Hæc ejus ſunt verba; III. Auctoritatibus Sarpedonius refellitur.

*Τὸ γὰρ στοιχεῖον κριτέον μάλιστα, ὅτι στοιχεῖον ἐστὶ ἐκ τοῦ ἀσυνθέτου καὶ μονοποιὸν ἔχει φθόγγον οἷός ἐστιν ὁ τοῦ α. καὶ ε. καὶ ο. καὶ τῶν λοιπῶν· ἐπεὶ οὖν ὁ τοῦ αι. καὶ ει δίφθογγος ἁπλοῦς ἐστι, καὶ μονοειδὴς ἔσται καὶ ταῦτα στοιχεῖα· τεκμήριον δὲ τῆς ἁπλότητος, καὶ μονοειδείας τὸ λεχθησόμενον· ὁ μὲν γὰρ σύνθετος φθόγγος, οὐχ οἷος ἀπ᾽ ἀρχῆς προσπίπτει τῇ αἰσθήσει, τοιοῦτος ἄχρι τέλους παραμένειν πέφυκεν, ἀλλὰ κατὰ παράτασιν ἑτεροιοῦται· ὁ δὲ ἁπλοῦς, καὶ ὄντως τοῦ στοιχείου λόγον ἔχων τοὐναντίον ἀπ᾽ ἀρχῆς μέχρι τέλους ἀμετάβολός ἐστιν· οἷον τοῦ μὲν ρα. φθόγγου, ἐν παρατάσει προφερομένου, δῆλον ὡς οὐχ ὡσαύτως αὐτοῦ κατὰ τὴν πρώτην πρόπτωσιν ἀντιλήψεται ἡ αἴσθησις καὶ κατὰ τὴν τελευταίαν· ἀλλὰ καταρχὰς μὲν ὑπὸ τῆς ρ. ἐκφωνήσεως κινηθήσεται. μεταῦθις δὲ ἐξαφανισθείσης αὐτῆς, εἰλικρινοῦς τῆς τοῦ α. δυνάμεως ποιήσεται τὴν ἀντίληψιν· ὅθεν οὐκ ἂν εἴη στοιχεῖον τὸ ρα. καὶ πᾶν τὸ ἐοικὸς αὐτῷ· εἰ δὲ τὸν τοῦ αι φθόγγον λέγοιεν οὐδὲν ἔσται τοιοῦτον, ἀλλ᾽ οἷος ἀπ᾽ ἀρχῆς ἐξακούεται τῆς φωνῆς ἰδίωμα τοιοῦτον καὶ ἐπὶ τέλει. ὥστε στοιχεῖον ἔσται τὸ αι· τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος ἐπὶ καὶ ὁ τοῦ ει φθόγγος, καὶ ὁ τοῦ ου. μονοειδής, καὶ ἀσύνθετος, καὶ ἀμετάβολος ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους λαμβάνεται, ἔσται καὶ οὗτος στοιχεῖον.*

„ Elementum maximè judicandum eſt, eſſe elementum ex eo, quod ſonum habeat incompoſitum, & unicum, ut eſt ſonus *α*, & *ε*, & *ο*, & cæterorum: quoniam ergo ſonus *αι*, & *ει* eſt ſimplex, & uniformis, erunt hæc quoque

(a) *Contra Mathem. c. 5.*

que elementa. Cum ſyllabæ ρα ſonus profertur in extenſione eſt perſpicuum, quod non ſimiliter eum apprehendet ſenſus in prima incurſione, & in ultima: ſed in principio quidem a prolatione ρ movebitur, poſtea autem ea deleta purè, ac ſincerè apprehendet vim litteræ α: quamobrem ρα non eſt elementum. Sed ſi dicant ſonum αι nihil erit hujuſmodi, ſed qualis ab initio auditur vocis proprietas, talis etiam in fine, qua de cauſa αι erit elementum. Cum hoc autem ita ſit, quandoquidem & ſonus ει, & ſonus ου uniformis, & incompoſitus, & immutabilis ab initio ad finem uſque accipitur; erit is qùoqùe elementum „

Quid clarius in noſtram cauſam dici potuit a Sexto Empirico? Nunc Euſtathius Archiep. Theſſalonicenſis audiendus eſt, linguæ græcæ, ut omnes norunt, peritiſſimus. Hic autem in Iliad. α iſta animadvertit. Κενὸς μὲν ϗ καινὸς τὰ αὐτὰ κατὰ τὸν ἦχον ἀπαραλλάκτως εἰσί· πλὴν τὸ μὲν πρῶτον διὰ τοῦ ἐψιλοῦ γράφεται, τὸ δὲ δεύτερον τὴν διὰ διφθόγγου γραφὴν ἀπηνέγκατο· πίθεσθε, πείθεσθαι ἐν διαφόρῳ γραφῇ τὸν αὐτὸν ἦχον ἔχουσι.
Κενὸς, & καινὸς *eundem ſonum habent ſine ullo diſcrimine, niſi quod prius per* ἐψιλὸν *ſcribatur; poſterius autem diphthongum requirat.* πίθεσθε, & πείθεσθαι *in diverſa ſcriptura eundem ſonum habent.*

IV. Earundem auctoritatum conlectarium.

Atque hæc, quæ ex Sexto Empirico, & Euſtathio recitavimus, lucidè, breviterque definiunt; Diphthongos αι, & ει pronunciandas eſſe ut E, & I. Neque his adverſari credas Plutarchum, & Terentianum: ille ſiquidem loco ſupra citato apertè ſignificat qua ratione α, & ι faciant ſyllabam unam, quia ſcilicet alpha præcedens ἰῶτα, & ob ſoni exilitatem cum eo minimè coaleſcens flectit illud ad ſonum τοῦ ἐψιλοῦ; unde ſonus ex utroque confuſus diphthongi natura id exigente conflatur; ut ipſe Beda (a) fa-

(a) Pag. 40.

fatetur. Alter verò non minus perſpicuè id ipſum declarat his verbis:

*Alpha ſemper atque Iota, quem parant Græcis ſonum,*
A, & E *nobis miniſtrant. Sic enim nos ſcribimus.*

Igitur ſi apud Latinos Æ ſonat E longum, etiam Græcis αι ſonabit ε laxum.

Pro diphthongo ει idem Auctor hæc ſcribit:

*E deinde* Ιῶτα, *græca quod diphthonghus* EI *ſonat,*
*Non erit ſemper neceſſè copulatas ſcribere.*
*Seu latina, ſeu jugetur græca longa ſyllaba,*
Ιῶτα *ſolum, quod videmus ſæpe produci, vel* I.

Ex quibus fit, ut Ιῶτα longum, vel I longum ſolùm poſita tum Græcis, tum Latinis diphthongum EI exprimant: ergo cum ἰῶτα longi, & I longi pro EI par ſit ratio, par erit etiam ſonandi modus. Nemo enim Grammaticorum I longum, ut E, & I ſonare dixit.

V. Reliquæ diphthongi quomodo pronunciandæ.

Quamvis ea, quæ hactenus diximus ad pronunciationem noſtram reliquorum Diphthongorum aſſerendam ſufficere poſſent (omnibus enim eadem fere eſt ratio, & natura) cæteras tamen, quantum poſſumus, perſequamur. Quomodo diphthongus αυ enuncianda ſit, illud nos docet, quod Cicero lib. 2. de Divinatione ediſſerit: id autem ſic eſt. *Cum M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in Portu Caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat. Dicamus, ſi placet, monitum ab eo Craſſum, caveret, ne iret, non fuiſſe periturum, ſi omini paruiſſet.* Ubi ſi ſoni ſimilitudinem in vocibus his καυνέας, *cauneas*, & *cave ne eas* notaveris; græcæ pronunciationis antiquitatem agnoſces. Clearchus verò(*a*)nonne apud Athenæum νευρομήτρας vocat, quod Suidas ſcribit νεφρομήτρας? Mitto alia doctiſſimorum hominum exempla, & auctoritates, quod in noſtra diſſertatione pag. 134., & 135. ſatis ſuperque retulimus. Maneat ergo

(a) *Apud Caſaub. l. 9. c. 13. in Athen.*

go *αυ*, & *ευ*, ut av, & ev, aut etiam ( vult ita Manutius in libello de poteſtate litterarum ) ut af, & ef ſonare, ſono nimirùm intèr b, & f medio.

VI. Thucydidis narratio de varia Athenienſium intelligentia vocis hujus *λοιμός*.

Notum eſt Viris eruditis, quod a Tucydide (*a*) narratur de Athenienſibus; quorum alii Oraculum hoc ab Apolline prolatum,

*Ἥξει δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.*

*Λοιμὸν* intelligentes, alii verò *λιμὸν*; ita diverſè acceperunt, ut partìm ſic ſint interpretati:

*Veniet Doricum bellum, & cum eo peſtis.*

Partìm verò:

*Veniet Doricum bellum, & cum eo fames.*

Sed præſtat ipſum audire Scriptorem „ Athenienſes, inquit, maximis calamitatibus vexati, hominibus intra muros mortem obeuntibus, extraque eos hoſtibus agrum ferro, ignique vaſtantibus, recordati ſunt carminis, quod Senes ajebant, jampridem decantari, hoc modo *ἥξει δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ*. Contendebant autem homines non *λοιμὸν peſtem*, ſed *λιμὸν famem* hoc verſu prædici. Sed evicit in præſentia meritò peſtis interpretatio; homines enim ad ea, quæ patiebantur ſenſum detorquebant. Sed exiſtimo, ſi aliud poſt hoc aliquando invaſerit Doricum bellum, & contingerit eſſe *λιμὸν famem*, tum meritò carmen hanc voluiſſe dicent. „ Ex quibus clariſſimè infertur OI, ùt *ἰῶτα*, non autem ut O, & I, pronunciari ab Athenienſibus. Unde nam enim, ſi ita non eſt, diſſenſio illa ſuper ejus verſiculi intelligentia inter tuos Atticos o Sarpedoni? Audio, quid reſpondes: in quibuſdam ſcilicet diphthongis, plus quandoque unam vocalem audiri, quàm aliam; atque hinc facilè contigiſſe, ut Athenienſium alii *λοιμὸς*, alii *λιμὸς* ab Oraculo prolatum fuiſſe crediderint. Veràm eo tantùm conſilio hæc a te dici animadvertimus, ut deviſtæ opinioni tuæ effu-

pag. 40.

(a) Lib. 2. de bello Pelop.

effugium aliquod pares. Verumtamen verba Thucydidis (non quidẽ Xenoph., ut ais p.40.) planiſſima ſunt, oſtenduntque nos Atticorum pronunciandi morem adhuc ſervaſſe.

VII. Dionis ſimile exemplum profertur in voce ποιητικοί.

Non admodum diverſa ab iis, quæ Thucydides nobis ſcripta reliquit perhibet Dio apud Cl. Lipſium. (a) Nero, inquit, duos Sulpicios morte multavit, quòd viſi ſunt ejus ſcenicam laudem imminuere. Ὅτι ποιητικοὶ ἐκ προγόνων ἐπικαλούμενοι, οὐκ ἐπαύσαντο πρόσρημα τοῦτ᾽ ἔχοντες, ἀλλ᾽ ἐς τὰς τοῦ Νέρωνος νίκας τὰς πυθικὰς ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἠσέβουν. *Cum enim* Ποιητικοὶ *cognomine a Majoribus accepto appellarentur, eoque uti non ceſſarent, propter ambiguitatem ex vicinia nominis in* Πυθικὰς *pythicas Neronis victorias delinquere cenſebantur.*

Nulla profectò ſoni vicinitas, nulla fuiſſet ambiguitas, ſi more tuo alterum *poieticos*, alterum *pythicos* tunc pronunciaſſent. Neque fortaſſe ad mortem dediſſet Nero Sulpicios, niſi harum vocum *piiticos*, & *pythicos* homonomya fuiſſet deluſus.

En tibi Sarpedoni quomodo ab ætate Thucydidis, qui an. CCCCXXIX. ante Chriſtum natum florebat ad primum ejuſdem Chriſti ſæculum, atque indè ad nos uſque pronunciatio diphthongi OI integra pervenerit.

VIII. Hieronymi, & Bedæ ſententia de Diphthongo YI.

Tandem Hieronymus (*b*) linguarum ſcientiſſimus, & Ven. Beda (*c*) nobis Auctores ſunt, ut diphthongus YI non VI, ſed ut y, vel i efferatur. Alter enim hæc memoriæ prodidit: *Cænomyia, non ut Latini interpretati ſunt, Muſca canina dicitur per* y *Græcam litteram, ſed juxta Hebraicam intelligentiam, per* OE *diphthongum debet ſcribi, ut ſit* κοινομῦια, *ideſt omne genus Muſcarum.* Alter verò inquit: Κυνομῦια *per* y *ſcripta caninam Muſcam ſignificat,* κυὼος *enim græcè Canis dicitur;* κοινομῦια *per diphthongum* OE *communem Muſcam,* κοινὸν *enim græ-*

D

(a) *In Diatr. de L. L. pron.*
(b) *T. 3. Ep. ad Fretelam, & Suniam.* (c) *Lib. de Orthograph.*

*græcè commune eſt ; undè cœnobium a communitate nomen accepit . Quod in Exodo , & in Pſalterio in primis tranſlatum eſſe arbitramur , ut omnis generis Muſca ſignificaretur , ſed ſimilitudine ſoni per incuriam contigiſſe , ut* cynomia *pro cœnomia ſcriberetur .*

Quibus equidem verbis, & noſtra pronunciatio τοῦ οι , & YI apprimè firmatur . Minimè tamen prætereundum eſt , quod Athenæus (*a*) teſtatur , veteres nimirùm diphthongum hanc per Y ſolum ſcripſiſſe . Id autem fortè ideo factum eſt , quia videbatur Antiquis Y non ſatis exprimere ſonum ; præſertim ſi vocalium clariſſima Alpha illud ſequatur : etenim ſi μῦα raptim pronunciaveris , audietur myja , quòd ſonus exilis , & clarus niſi priore producto ad evitandum hiatum , concurrere nòn poſſunt .

IX. Diphthongus non duplicem reddit ſonum in pronunciatione . pag. 38.

Miraberis fortaſſe, cur tot tantique Auctores , quos hactenus citavi ; eam non animadverterint rationem , cujus vos perſæpè mentionem facitis : Diphthongos ſcilicet dici , quòd duplicem ſonum reddant . Cui ego malè ſartæ opinioni in mea Diſſertatione pag. 131. feci ſatis : atque hocce Scriptorum ſilentium maximè probant , quod ibidem aſſeruimus . Quod ſi liceret de his plus æquo loqui ; hæc adderem . Certè OY diphthongus eſt : nihilominus ut V ſimplex ſonat etiam apud Latinos ipſo Terentiano dicente .

*Græca diphthongus* OY *literis tamen noſtris vacat :*
*Sola vocalis quòd* V *complet hunc ſatis ſonum .*

At nimiùm de his .

## § VI.

I. De litteræ B. ſono . pag. 25.

Reſtat littera βῆτα , quam tu quidem B latinum ſono referre vis , ego verò malo V ita molliter prolato reſpondere ; ut , cum ea enuncietur , ad græcum π tantil-

(a) *Lib. xi. Dipnoſ. c.5.*

illùm accedat: quare iſte Platonis locus, quo tibi triumphare videris: Τότε σίγμα τῶν ἀφώνων ἐςὶ ψόφος τὶς μόνον διον συριττούσης τῆς γλώττης· τοῦ δ' ἂυ βῆτα ὔτε φωνὴ, ὔτε ψόφος. *Sigma eſt mutarum tantùm litterarum ſtrepitus quidam, tanquam ſibilante lingua: litteræ verò beta nec vox, nec ſtrepitus quidem ſubeſt. In Thæetet.* Contra me minimè facit; quodque ipſe in eo mero, ut ais, caſu, ego jam cum linguæ græcæ operam dare occæperim, planè animadverti. Non enim eam litteram ſtrepentes, non ſibilantes pronunciamus, ſed molliter, atque ore quaſi clauſo.

Exempla autem, quæ ex Auſonio, & Pſalterio latinis exarato litteris anno Chriſti 1105. a te proferuntur, antiquitate longè antecedit Cophtorum alphabetum, in quo, uti ſupra innuimus, Βῆτα ſic exprimitur *Vida*.

Non te movent Herodianus, Heſychius, & Strabo, qui noſtræ ejus litteræ pronunciationi teſtimonio fuerunt: movebit fortaſsè Suidæ auctoritas, qui nobis hæc tradidit. Βηρούνιον. *Virunium: Oppidum eſt in Noricis. Ibi cum aprum vaſtæ molis Norici fruſtra aggrederentur, unus aprum proſtratum in humeros extulit: quo viſo Norici acclamaverunt ſua lingua*, εἷς ἀνὴρ, τοῦτ' ἔςι Βηροῦνς· ὅθεν Βηρούνιον ἐκλήθη. *Vir unus, & inde Virunium appellatum eſt*, Reperies etiam apud eundem Βενετιάνος· *Venetianus*, Βεςιάριος, *Veſtiarius*; Βεςῖνοι, *Veſtini*. Κορβῖνος, *Corvinus*, & alia ſexcenta. Utque videas, nos non unius, aut alterius Scriptoris, vel Codicis auctoritate moveri, ut ipſe promptulè dicis, præter ea, quæ in noſtra Diſſertatione exempla dedimus; jam alia exhibemus. In nummis græcis *Octavia* (a) ſcribitur Ὀκτάβια, *Flavius* in nummis Titi Φλάβιος, Φλάυιος, & Φλαύιος exaratur. Iam verò Balſamon ad Can. 70. Trullanum βελιάνειον δόγμα *Senatus conſultum Vellejanum* reddit. Lacerda in

II. Adjiciuntur aliæ auctoritates ex Suida, & Mario Victorino. pag. 43. pag. 43.



(a) *Orat. p. apud Vveſt. p. 213.*

in adverſariis notat Græcos *veſtes* βεςία dixiſſe. Verùm operæ pretium eſt antiquiora ob oculos ponere. Hebræum *Hevel* græcis eſt Ἄβελ, *Cheruvim* eſt χερυβὶμ, & *Auram* Ἄβραμ, Syrus interpres Σεβαςὴ *Sevaſti*, Act.27. 1. & verſ. 11. Κυβερνήτης *Kuverniti*, & quod eſt diligenter obſervandum, nomen εὔβυλος (*a*) quia ſciret a Græcis Evvulos pronunciari, ſimpliciter *Evulos* in ſuam linguam tranſtulit. Ruſſi autem Βασίλειον nomen proprium *Vaſili* dempta terminatione pronunciant, ut ex Oleario ſupra citato addiſcimus.

Claudat argumentum hoc Marius Victorinus, (*b*) qui hæc ſcribit: F *Aeolibus dumtaxat idem valet, quod apud nos* V *cum pro conſonante ſcribitur, vocaturque* βαῦ, *&* *digamma*. Alibi dixerat *Uau vocari*. Unde cognoſcere licet β, & v idem ſonare, cum Victorinus, quod græcis litteris βαῦ, latinis *Vau* ſcripſerit. Id & Hugo Grotius (*c*) perſequitur, inquiens: *Aſt ſi ſonuiſſet ut* B, *quid opus fuiſſet Aeolos, cum* β *haberent, novam excogitare litteræ figuram?* Sed conſiderandum eſt, Aeolas, (*d*) quorum lingua aſperior fuerat, peculiari idiotiſmo B durius inſtar b latinum, extuliſſe; ut autem ſono molliore, quo alii Græci, uterentur; ſuum digamma excogitarunt, quod poſtea in deſuetudinem ivit.

## §. VII.

I.
De priſcis Inſcript.

NUnquam credidiſſem, Sarpedoni clariſſime, te multiplici quamvis eruditione præditum de vetuſtis inſcriptionibus, quas noſtræ ſententiæ probationi eſſe voluimus; tam abjectè ſentire. Tale enim illarum judi-
*pag.42. n.64.* cium facis. „ Verùm quoniam hìc inſcriptionum, marmorumque fit mentio, ſemel a Lectore notatum volumus, cha-

(a) 2. *Tim.* 4. 21. (b) *Lib.*1.
(c) *Not. in Matth.* c.1. v.6. (d) *Orat. apud Vveſt.* p.215.

characteres illos a Plebejis plerumque, rudibuſque homiminibus exaratos fuiſſe; adeoque eò tantùm conferre, ut qua ratione voces quædam ab uno, alterove plebejo ſcriptæ, pronunciatæve fuerint intelligamus &c. „ Omnia bellè, quibus tamen ipſe unus plaudas.

Non ita profectò Manutius in *Orthograph.*, non ita Cl. Fontaninus in lib. 1. *de antiquitatib. Hortæ cap.* 8., universè ſenſerunt. Placet ex illorum ſcriptis unum, & alterum hac ſuper re exemplum in proſpectum producere. Volunt ambo (*a*) locis nuper citatis non *Epiſtola*, ſed *Epiſtula* ſcribendum eſſe: additque eruditiſſimus Præſul ita ſcriptum fuiſſe uſque ad ſæculum ſextum, ut planum ſit ex numis, & inſcriptionibus. Quamquam verò *Silva* ab ὕλη Etymologi ducant, nihilominus idem Manutius *Silva*, non *Sylva* ſcribi jubet: concluditque: *Silva cum* I *omnis ſcripſit antiquitas, alii ſcribunt cum* Y *contra libros, lapideſque omnes.*

**II.** Numiſmata, & veteres Inſcript. quò conferant.

Accipe nunc, quæſo, a Cl. Chriſtophoro Cellario, quò conferant numiſmata, vetereſque Jnſcriptiones. (*b*) „ Inſcriptiones Veterum, eundem uſum habent, quem numiſmata antiqua. Serviunt hiſtoriæ, geographiæ, genealogiæ; variorumque rituum cognitioni: immo ipſi litteraturæ, ideſt Orthographiæ, grammaticæ, & vocabulorum ſcientiæ: quia multa ex lapidibus diſcuntur, quæ in libris etiam antiquis fruſtra quæſieris „ Hactenus ille. Ex quibus auctoritatibus intelligi debet veteres inſcriptiones non modò alios ad uſus, ut ipſe concedis, conferre; verùm etiam in re præſenti, quod a te eo loci negatur, maximè probare: etiamſi plures reperiantur contrario prorſus modo eodem penè tempore elaboratæ. Etenim libenter damus in illis exarandis ſæpiſſimè, erratum

(a) *Fatetur Manutius ab antiquis* Epiſtula *fuiſſe ſcriptum: at ipſe pag.* 300. *dit, Venet.* 1566. *recentiorem ſervat morem.*
(b) *Sect.* 11. *de Inſcript.* §.1. *p.* 157. *Brev. Antiq. Rom.*

tum eſſe, attamen ea *σφάλματα* ex ſoni ſimilitudine, quæ inter vocales eſt, & diphthongos ſupra relatas, obveniſſe conſtanter aſſerimus. Quamobrem patere Sarpedoni, a me pronunciationem, quam adhuc defendi, tibi, & *φιλέλλησιν*, antiquis rurſus probari monumentis. In primis hiſce tribus inſcriptionibus videbis *ἰῶτα* pro *ἦτα* non ſemel, ipſumque *ἦτα* aliquando loco *τῦ* Υ exaratum.

III. I pro ἦτα, & ἦτα loco Υ exaratum tribus expoſitis Inſcript. evincitur.

ΓΛΥΚΙΤΑΤΙ ΓΥΝΑΙΚΙ

ΑΡΓΥΡΙΔΙ ΤΡΟΦΙΜΟϹ

ΑΝΙΡ. ΕΤ. ΕΣΗ ΛϚ.

*Dulciſſimæ Mulieri Argyridi Trophimus Maritus. Annis vixit* XXXVI. Extat Inſcriptio (*a*) hæc Ravennæ in Templo Novi Claſſenſis Monaſterii; ubi etiam eſt Corpus S. Argyridis Matronæ, & Martyris græcæ: cujus ibidem feſtum quotannis agitur die XXIV. Aprilis.

Θ. Κ.

ΚΑΙΝΙΔΙ ΘΥΓΑΤΡΙ ΖΙϹΑΝΤΙ ΕΤΗ

Β̄. Μ̄. Η̄ ΗΚΕΡΗ ΜΑΝΘΟϹ ΚΑΙ Ϲω

ΡΙΑ ΕΠΟΙΗϹΑΝ ΜΝΗΜΗϹ ΧΑΡΙΝ

Doctiſſimus Muratorius pag. 1143. num. 8. ita hanc tranſtulit. *Cænidi Filiæ, quæ vixit annis* II. *menſibus* VIII. *Ecere Manthos, & ſoria fecerunt memoriæ cauſa.*

At pro ΗΚΕΡΗ fortaſſe legendum eſt ΗΜΕΡ. Η. *dies* VIII. Etenim eadem nota ΗΜΕΡ., ut optimè advertit Cl. Eduardus Corſinus *Not: Græc. pag.* 26. ſæpe in marmoribus reperitur.

NI-

(a) *Legeſ. Papebr. Act. SS. 20. Maii in Comment. Luciferi, & Boldettum Tom. 2. p. 274. Oſſerv. ſopra i Cimit.*

Ν Ι Κ Α Ν Δ Ρ ω Ε Μ Ο Γ Λ Η

Κ Υ Τ Α Τ ω Α Ν Δ Ρ Ι Є Υ Θ Μ

*Nicandro* (*a*) *meo Viro dulciſſimo*, *qui eſt in mentis tranquillitate*. Nam τὸ Є Υ Θ Μ, ni fallimur, idem eſt ac εὐθυμοῦντι.

In ſequenti ſatis vetuſta Inſcriptione cernes ἰῶτα loco τοῦ Υ poſitum.

Π Ο Υ Β Λ Ι Ο Ν. Σ Ε Π Τ Ι Μ Ι Ο Ν

Γ Ε Τ Α Ν. Τ Α Μ Ι Α Ν. Κ Α Ι

Α Ν Τ Ι Σ Ρ Α Τ Ι Γ Ο Ν

Κ Ρ Η Τ Η Σ. Κ Α Ι. Κ Ι Ρ Η

Ν Η Σ Α Ν Τ Ο Ν Ι Ο Σ. Π Α Ρ

Α Ι Β Α Τ Η Σ. Κ Α Ι. Τ Ε Τ Τ

Ι Ο Σ. Μ Α Κ Ε Ρ. Κ Α Ι. Τ Ε Ι

Μ Α Γ Ε Ν Η Σ. Σ Ο Λ Ω

Ν. Ο Ι Α Γ Ο Ρ Α Ν Ο Μ Ο Ι. Τ Ο Ν

Φ Ι Λ Ο Ν

*Publium*. *Septimium*
*Getam*. *Quæſtorem*, &
*Proprætorem*
*Cretæ*. & *Cyrenes*.
*Antonius*. *Parabata*
*Et Tettius*. *Macer*. &. *Ti*

*Ma-*

(a) *V. Boldett. pag. 522., ubi dicit ſe inſcript. hanc in Cœmet. Priſcill. inveniſſe.*

*Magenes. Solon.*
*Agoranomi.* (*a*)
*Amicum* Monumento hocce honeſtant.

*Agoranomi* erant ii ſelecti homines, quibus dabatur poteſtas apud Lacones, ſeu Spartas foro, rebuſque venalibus pręſidendi. Lege Cl. *Edmundum Corſinum diſſert. 5. num.* LXXXVI. Cur autem idem eruditiſsimus Scriptor *in Prolegomenis pag.* XXX. dicat, me noſtræ Palæograph. pag. 105. perſpicuè erraſſe; quòd ſcripſerim *Sampì* reperiri in marmoribus Oxonienſibus: non ſatis intelligo. Maximè quod eo loco, in quem fortuitò incidi, hæc ille ſubjiciat. „ Video quidem characterem ipſum, notæqoe genus in alio marmore pag. 93. reperiri, ibique pro nonagenario numero a Prideauxio uſurpari, ut ipſius proinde veſtigiis in explicando notæ hujus valore Placentinus inſtitiſſe videatur. „ In primis Prideauxio nunquam ſum uſus; deinde hęc tantummodò ibidem ſcripſi ex Montfauconii græcæ Palæograph. libr. 4. pag. 337. „ *ἐπίςημον σὰν πῖ*, juxta primam, & ſecundam formam (illic relatas) in aliquot vetuſtis MSS. occurrit: juxta tertiam in marmoribus Oxonienſibus. „ Sed detur, me dixiſſe *Sampì* in dictis marmoribus nonagenarium numerum ſignificare; quid inde? Si reponat Corſinus, eam notam ſemel inveniri in marmoribus Oxonienſibus, atque ex iis, quæ ibi narrantur, non poſſe tantum reddere numerum: tum ego mendum figuræ ibidem fuiſſe dicam. *Sampì* namque ubique Scripturarum, quod ſciam, nonagenarium repræſentat numerum: niſi ipſe novo quodam inſtituto confundere velit *Sampì* cum *ἐπίσημον βαῦ*, quod ſolùm ſextum ſignificat numerum. Sed ad rem redeamus.

In-

(a) *Vide græcos Lexicograph.*

Innumeri propemodùm ſunt Lapides ἀδίφθογγοι, paucos nos delegemus; in quibus E pro AI, & I pro EI conſpicere licebit.

**IV.** Pauci ex multis ſeliguntur lapides, in quibus ſimplices vocales diphthongorum vices obeunt.

ʽΑ Μ Є Λ Ι Ω Τ Є Κ Ν Ω Γ Λ Τ Κ Υ

Τ Α Τ Ω Ο C Є Ζ Ζ Η

Є Ν Ε Τ Η Β μ Η Ν

Α C Β Η μ Ε Ρ Α C

Є Α μ Є Α Ι C Α Ρ Χ Ω

Κ Є μ Α Ρ Ι Α Γ Ο Ν Ε Ι C Τ Є

Κ Ν Ω Α μ μ Ω μ Ω Ο C Є Ι Ω

Є Π Ο Ι Η C Α Ν

Inſcriptio hæc extat in Villa DD. Sinibaldi, ad Flaminiam non procul a Porta, quàm a *Populo* vulgò dicunt; eamque ſic exponit Cl. tuus Antonius Maria Lupi (a) *Filio dulciſſimo, qui vixit annos duos, menſes duos, dies quinque. Amelii Archon, & Maria Parentes, Filio meo Muſeo fecerunt: vel meo ſuavi.*

At ut optimè notat in quibuſdam MSS. eruditiſſimus noſter D. Dominicus Mancinelli, qui dum viveret, meis ſtudiis magno erat adjumento; ita legenda eſt. *Amelio Filio dulciſſimo, qui vixit annos duos, menſes duos, dies quinque, Amelii Archon, & Maria Parentes Filio immaculato, ſancto fecerunt*. Ibi enim τέκνω ἀμώμω, ὁσίω, non autem ἀμμῶ μωοσείω, ut ille opinabatur, legendum eſt.



(a) *Epitaph. Severa Mar. p. 140.*

ΒΑΡΓΟCΤΗΙΔΙΑCΥΜΒΙ ω

ΕΠΟΙΗCΕΝ

ΕΝΘΑΚΙΤΕ ΕΤ ω ΝΙΘ

*Vargus propriæ Conjugi fecit* : *hic jacet annorum* XIX. Eſt apud Cl. Muratorium pag. 1940. n. 6.

ΕΥΨΥΧΙ CΕΚΟΥΝΔΑΟΥ

ΔΙC ΑΘΑΝΑΤΟC ΡΗΓΙΤΑΝΑ

*Eupſich. ſecundæ bis immortalis Rhegitana*. Ita eam explicat Cl. Boldettus *Tom. 2. pag.* 372. Sed perperam; cum omninò ſic reddenda ſit: *Bono ſis animo Secunda Rhegitana*, *nemo immortalis*. Frequenter enim ſcribitur in marmoribus, εὐψύχι pro εὐψύχει.

I. ЄΥΨΥΧΙ ЄΥΓЄΝΙ

ΖΗCΑΙC

II. ЄΥΨΥΧΙ ΙΛωΝ

III. ΤΗΣ ΜΕΝ ΑΡΗΣ

ΚΡΕΙΤΤΩΝ ΠΑΣΗΣ

ΗΤΤΩΝ Δ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ

Has Inſcriptiones tres ad nos perhumaniter tranſmiſit Reverendiſſimus Dom. Alexander Clappinius Abbas Generalis Canonicorum Lateranenſium ( cum quo Præſes noſter Generalis D. Bartholomæus Dimarco amici-

tia

Digitized by Google

tia penè Pyladea coniungitur ) antiquitatis acer inveſtigator, atque in Cimeliis explicandis potiſſimùm verſatus. Licet autem inſcriptio tertia ad rem noſtram non faciat, volui tamen in lucem eam proferre; quia, ut aliæ duæ, opinor, *ἀνέκδοτος* eſt.

I. *Felix ſis Eugenia. Utinam vixeris*! namque Εὐγένι fortè idem eſt, ac Εὐγένεια, niſi mavis legere Εὐγένει *Eugeni*.

II. *Felix eſto*, ſeu vale, *o Ilon*.

III. *Omnibus quidem precibus præſtantior* ( eſt ) *minor verò Venere*. Fortaſſe ſic meliùs expoſuerim: *Nocumento major*, *Venere inferior*. At quis iſte ſit; prorſus ignoro: non enim vidimus Inſcriptionem ipſam, neque, cui inſcribatur, tenemus. An *Amor* ipſe ibi ſuperior precibus omnibus; & inferior Venere, ſeu dicatur *nocumento major*, ut qui voluptatibus devictus, cuncta deſpicit damna? Quum Seneca Tragœdia prima hæc ſcribat.

*Cæcus eſt ignis ſtimulatus ira,*
*Nec regi curat, patiturve frenos;*
*Haud timet mortem, cupit ire in ipſos*
*obvius enſes.*

Olim ſic eam ſumus interpretati.

Α῎ρης μὲν κρίττων ἐςὶ πάσης ἀρετῆς, ἥττων δὲ Α᾽φροδίτης.

*Mars quidem præſtantior eſt quacumque virtute, inferior autem Venere*. Secundum illud Ciceronis in Orat. pro Mur.

*Ac nimirùm dicendum eſt, quod ſentio: Virtus militaris præſtat cæteris omnibus*. Cæterùm ſuſpicamur, mutilam eſſe inſcriptionem, ideoque nonnulla verba ſupplere auſi ſumus. Omnia tamen non ſine trepidatione molimur. Poſtremò ea ſculpta eſt, quod nobis planè exciderat, in lamina rubri jaſpidis pollice uno alta, tri-

buſque lineis pedis pariſiaci; lata verò pollice item uno, & medio.

ΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΓΟΝΕΟΙ ϹΙΑΓΝΟΙϹ

ΤΡΥΦΕΡ Ꞷ ΝΕΒΡΙ Ꞷ ΑΡΙϹΓΟΚΡΑΤΗ

ΤΡΙ ΑΓΑΘΟΚΛΙΑΙ ΝΕΙΚΗ

..Ϲ. ΑΓΑΘΟΚΛΗϹ Υ. Ι. ΟϹ

Hanc quidem Inſcriptionem refert Cl. Boldettus Tom. II. pag. 396., ſed minimè explicat. Ego verò ſic redderem timidiſſimè.

*Μνήμης χάειν · Γονεῦσιν ἁγνοῖς Τρυφέρῳ Νεβρίῳ, Ἀριστοκράτῃ Μητρὶ Ἀγαθοκλίᾳ νικησάσησιν Ἀγάθοκλης ὑὸς ἔθηκεν.*

*Memoriæ gratia Parentibus caſtis Thrypherio Nebrio, Ariſtocrate Matri Agathocliæ, qui vicerunt; Agathocles Filius. poſuit.*

In ea autem, ſi noſtra conjectura vera ſit; EI pro *ἰῶτα* ſimplici ponitur.

V. Qualis ſit ſonus lit. B etiam Inſcript. probatur.

In ſubjecta marmorea Inſcriptione notabis Sarpedoni vocabulum origine græcum habere V loco B, quare litteræ hujus qualis apud Græcos fuerit ſonus; agnoſces.

# VE NE GES TVS PREVI TER

# IN PA CAE DOM DOR MIT

*Venegeſtus Presbyter*
*In pace Domini dormit.*

Ta-

Tabulam hanc marmoream longam quidem pal. VII. & dodrante: latam verò palm. penè duobus, atque uncialis altitudinis; Eques Clemens Borgia in antiquitatis Cimeliis eruderandis ſtudioſiſſimus oſtendit nobis, erutam anno ſuperiore ex Vinea Illuſtriſſimæ Portiæ Antonelli Gagliardi in eo planè loco, qui vulgò dicitur *Campo Palazzo*, a Porta Velitrarum Neapolitana paſſ. tercentum disjunčto. Eam autem ad tertium, quartumve ſæculum pertinere arbitror, tum ex characterum forma eo tempore frequentius adhibita, tùm ex rudi ſcribendi modo, qui crebrò in Epitaphiis tertii, quartique ſæculi conſpicitur. Legitur ibi *Pacæ* cum dipthongo redundante, quæ res frequens eſt non ſolùm in antiquis Inſcriptionibus, ſed etiam in MSS. optimæ notæ græcis, atque latinis, in quibus Æ pro E, & AI pro E, contraque ponitur; ut paſſim advertunt Scriptores.

Porrò jam inde Velitras noſtræ Fidei dogmata tenuiſſe perſpicuum facit Inſcriptio ipſa. Immò cl. Præſul Bonaventura Theuli (*a*), qui illius Civitatis hiſtoriam conſcripſit, Veliternos a Sancto Clemente I. Romano Pontifice Chriſti fide fuiſſe imbutos probare conatur. Vide illum. Lege etiam ſis cl. Alexandrum Borgia (*b*) Archiepiſcopum nunc & Principem Firmanum, a quo doctè; & fuſiùs idem tractatur argumentum.

Eodem equidem loci, ubi reperta fuit marmorea inſcriptio, fuiſſe Cryptas pro ſepeliendis Mortuis inſtar Cryptarum Romanarum non temerè judicamus ex iis, quæ Sanctus Hieronymus (*c*) ſcripſit. *Dum*, inquit, *eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis, & propoſiti diebus Dominicis Sepulchra Apoſtolorum, & Martyrum circumire, crebròque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda Defoſſæ,* ex

(a) *Lib. II. p.* 137. (b) *Iſtoria della Chieſa, e Città di Velletri.*
(c) *In Ezech. c.*40.

*ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora Defunctorum; & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodùm illud propheticum compleatur: Deſcendant in Infernum viventes. Et rarò deſuper lumen admiſſum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam feneſtram, quàm foramen demiſſi luminis putes; rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur:*

*Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.*

Quæ omnia Cryptis noſtris apprimè conveniunt: Siquidem per parietes utriuſque partis habent illæ corpora Defunctorum tegulis tecta per clavos in muro defixis. Duæ extractæ fuerunt tegulæ, quarum altera hæc verba præſeferebat.

EX PR. DOMITIÆ LVCILLÆ

LATINI

T I ⸙ I

Altera verò hæc.

EX FIG. ISIDÆ QVADRATÆ

VI. Quid Catacumbæ, & Cœmeterium. Fuerint ne eæ Cryptæ arenariæ, ſeu *Arenarium*, haud certò ſcimus. Cryptæ namque arenariæ illæ dicebantur, ex quibus arenas, ſeu pulverem puteolanum pro Ædificiis conſtruendis eruebant Antiqui: Hinc Bollandus (a) de Sanctis Marco, & Marcelliano hæc refert: *Sepulti ſunt Via Appia milliario ſecundo ab Urbe in loco, qui*

(a) *Acta S. Sebaſtiani xx. Jan.*

Digitized by Google

*qui vocatur ad arenas, quia Cryptæ arenarum illic erant; ex quibus Urbis mœnia ſtruebantur.*

Eædem verò Cryptæ *Cęmeterium*, & *Catacumbæ*, vel *Catatumbæ* ſæpius appellatæ fuerunt: illud quidem, quia Cavernę erant ſubterraneæ in duos, tres, aut quatuor diviſæ ordines, una alteri ſuperpoſita, in quibus Mortuorum oſſa quieſcebant: unde & *Requietoria*, *requietionis loca*, & *Sedes requietionis* nuncupatæ: unde etiam in Chriſtianis inſcriptionibus phraſim hanc frequentiſſimè legimus: *Requieſcit*, aut *requieſcunt in pace*. Aut etiam quia, ut optimè notavit Sanctus Joannes Chryſoſtomus (*a*) quædam fuerunt Defunctorum *Dormitoria*. *Vide*, inquit ille, *quomodo ubique mors nominetur ſomnus: qua de causa locus Cœmeterii (quaſi dicas Dormitorii) nomen invenit*.

Hinc cum in noſtro marmore legatur: *In pace Domini dormit*, eas Cryptas Cœmeterium fuiſſe melius judicabimus. Catacumbæ verò, quod, ut ait cl. Du-Cangius (*b*) „ Ad ejuſmodi Cryptas, & ut ita dicam Valles Martyrum Corpora deferrent Chriſtiani, qui dum rogarentur, ubi jam jacerent? Reſpondebant Cata cumbas, ſeu ad cumbas; ideſt ad Cryptas, vel ad Valles aliquot ab Urbe milliariis „

Etenim vocabulum illud factum videtur ex κατὰ, & τύμβος: ideſt *ad*, vel *verſus tumbas*. Conſule cl. Boldettum (*c*) qui alia refert nomina iis Cryptis indita.

D.M.

(a) *Orat. in Cœmet. appell.*
(b) *V. Catacumbæ, & Cumba.*
(c) *Tom. 1. lib. 2. cap. xix. pag. 584.*

Digitized by Google

VII. Ætate etiam Auguſti, non ſolùm Trajani, ut falsò putat Sarpedonius, B. pro V. poſitum eſt.

## D. M.

## MARCO. SALBIO ROMANO AVGVSTI. LIB. COIVSX BE NEMERENTI. FECIT

Sumpta hæc eſt Inſcriptio de locuplete eruditiſſimi Victorii Muſeo, nobiſque miſſa ab erudito D. Stephano Borgia, qui jam ab adoleſcentia ſupra laudatum Archiepiſcopum D. Dom. Alexandrum Borgia patruum ſuum cæpit exprimere, remque publicam litterariam lucubrationibus illuſtrare. In ea autem legis Sarpedoni *Salbio* pro *Salvio*; & V, & B, verſaque vice ſibi ſucceſſiſſe non modò Trajani ſæculo, ut ipſe falsò dixiſti, ſed etiam Auguſti ætate animadvertis. Notanda etiam venit vox illa *Coiuſx*: at ejus poſtea mentionem faciemus. pag. 42.

Qui fuerint Liberti, dilucidè expedit cl. Nieupoort (*a*): ipſe legendus eſt. Unum dicam, eos, qui manumittebantur; raſo capite pileum accepiſſe, qui libertatis inſigne erat.

## §. *VIII.*

I. De Siglis in Lapidibus uſurpatis, quæ alphabetico ordine illuſtrantur.

Sed quoniam in veterum Inſcriptionum ſermonem bellè incidimus, in animo eſt, nonnulla alphabetico ordine perſtringere; quæ Adoleſcentibus illarum ſtudioſis fore perutilia cenſemus. Ac primo quidem AE non rarò per ſolum E expreſſa cernitur in Lapidibus, quod clarum fit ex Inſcriptionibus ſub quinti ſæculi initium poſitis apud cl.

(a) *De Ritibus Rom. ſect. vi. c. v. §. 3.*

Cl. Lupi pag. 22.; & ex aliis. Aliquandò etiam ſcripta eſt AE loco ſimplicis E, ut eſt apud eundem pag.131.

Eſt inſuper conſuetudo ſcribendi AES genitivo caſu ad diſtinctionem AE dativi caſus. Ita Cl.Fabretti pag.496. Attamen reperitur & AES in dativo apud eundem p. 497. num. 5. 10., & 12.

A, & Ω Græcorum grammata poſuiſſe Chriſtianos in ſuis monumentis ex illo Apoc. cap. 1. verſ. 8. accepta, *Ego ſum Alpha, & Omega; Principium, & Finis dicit Dominus Deus*; ſatis compertum eſt.

*Anchoram* iidem in tumulis ſculpſerunt, ut firmam, vivamque ſpem, quam defunctus habuit æternæ felicitatis adipiſcendæ, ſignificarent; ſecundùm illud Pauli ad Hebr. cap. 6. verſ. 18., & 19.: *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus Animæ tutam, ac firmam incedentem uſque ad interiora velaminis.*

A. A. A. F. F. exaratæ ſunt in quadam Tabula marmorea ad Antium refoſſa anno 1733.; earumque interpretatio eſt. *Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.*

A. D. *Ante diem.* Sic apud Reineſium (*a*) *Sex. Julius Meleolus* O. E. A. D. XIIX. K. Sext. P. DOL. COS. *Obiit ex ante diem*, vel *obitum fecit*; niſi fortè ſigla fuerint D. E. *Defunctus eſt, ante diem duodeviceſimum Kal. Sextileis P. Dolabella Coſ.* Aut verius ante die XIIX. Kal. nimirùm die XVIII. ante Kalendas.

*Aves* Sepulcris impreſſæ Chriſtianos ipſos indicant: *Chriſtianorum* namque *alii imperfecti per Piſces, alii perfecti per Aves ſignificati.*

Ita Natalis Alexander (*b*). Id autem ex eo etiam factum puto, quod ſicuti Aves ex aquis primitùs pro-

 die-

(a) *Claſſ. xix. 21.*
(b) *Tom. 1. Hiſt. Eccl. p. 33.*

diere, ut SS. PP. opinio fert, ſic Chriſtiani in aquis Baptiſmi renaſcimur.

II. B pro V poſitum ſupra vidimus: Hinc ſæpè in Saxis legimus *Bixit*, *Vibas*. *Birgo* &c.

B. M. F. *Bonæ memoriæ fecit*. Litteras has præſefert Inſcriptio, quæ Romæ extat apud D. Marchionem Gregorium Capponi.

**R**. *Bruttidius*. Hic officinis figulorum Cæſareorum præfuiſſe dicitur A. D. CI. in Tabula fictili apud Cl. Fabrettum (*a*).

C. In Inſcriptionibus Græcis pro VI. num. ponitur Auguſtorum tempore.

C̅C̅. Idem ſonare videtur ac *clariſſimi*; & forſitan *Comitis clariſſimi*. Item *Curatoris Civium*, vel *Civitatis*: aut *Correctoris Calabriæ*, vel *Conſularis Calabriæ*. *Comitis* etiam *Conſiſtorii*, *Comitis Caſtrenſis*. Vel demum *Cæmeterii Cubiculo*. Conſule Cl. Lupi pag. 21.

*Cum eum*, & *Cum quem*, pro cum eo, & cum quo non ſemel videmus in Lapidibus. Illud eſt in Inſcriptione Muſei Eminentiſſimi Albani ſæc. III. Hoc in marmore Septimii Heraclii Martyris apud DD. *Gentili* Septempedæ in Piceno.

CR. CV. Idem Antonius Maria Lupi ſic explicat p. 43. & 44. *Caſtris Ravennatibus*, ſcilicet *Præpoſiti*. *Caſtris veteribus*. Vide illum.

C. O. R. *Cajus Oppius Reſtitutus*. Apud Fabrettum cap. VII. 278. pag. 418. in lucernis fictilibus, quæ etiam habent C. OPP. RES.

CS. poſitæ pro X apparent in Secundæ Mar. Inſcriptione, in qua *vixit*, ita exaratur; *vicsit*.

D. &

(a) *Inſcrip. c. vii. 69. p. 501.*

Digitized by Google

**D·**, & **Ɖ.** *Dies* nimirùm, quæ paſſim in marmoribus conſpiciuntur.

D loco T frequenter in Tumulis reperitur. Unde illa *Sid* pro ſit in chriſtiano lapide apud Severanum (*a*). *Quod annis*, *quod Adſunt* in Cenotaphiis Piſanis (*b*) pro *quot annis*, *quot adſunt*. Quid *Adque* pro Atque frequentiſſimum eſt in Saxis aurei, atque argentei ſæculi. Vide Fabrettum c. IV. Inſcript. 48., & 50. pag. 253.

Aliquando poſitum eſt etiam pro F, altero F ſequente, ùti eruitur ex Inſcriptione incertæ ætatis penès D. Marchionem Alexandrum Gregorium Capponi nuper laudatum.

*Dolia* effinxerunt quandoque in Monumentis Chriſtiani, quandoque in Cœmeteriorum parietibus. Et ſanè in Priſcillini Cœmeterii Sacello ante faciem cujuſdam Sepulcri depicta conſpiciuntur: de quo Arringhius Tom. 2. pag. 213, 259., & 315. Ea autem ſi Homerum audiamus juſtitiam Dei, atque providentiam ſignificare videntur. Iliad. Ω.

*Δοιοὶ γὰρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει*
*Δώρων οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἐάων* · &c.
*Duo quippe Dolia jacent in Jovis limine*,
*Munerum, qualia dat, alterum malorum, alterum*
(*verò bonorum. &c.*)

Verùm iſtis minùs indigemus: dicimuſque hujuſmodi vaſis indicari eas lapideas hydrias, quæ in Nuptiis Canæ Galilææ Domino jubente Aqua refertæ in optimum Vinum fuerunt converſæ mirabiliter, *Joan. cap. 2*. Illud ſiquidem Vinum Sanguine, qui a Chriſti Martyre effunditur, ſignificatur. Ita S. Bernardus *in ſerm. de S. Clem. Papa* dicens. *Conſideravit B. Clemens Vinum ſibi appoſitum*



(a) *Roma ſotterr. lib. 3. c. 21. p. 395.*
(b) *Card. Noris Diſſert. 4. de Cenotaph. c. 2. §. 2.*

*tum eſſe a Domino, & ipſe quoque, quoniam dives fuit ad Nuptias illas Vinum nihilominus proprii Sanguinis effuſione portavit*. At in cæteris Chriſtifidelibus, qui piè, ſanctèque denati ſunt, eorundem charitatis fervorem notat: ut ex eodem Bernardo *ſerm. 2. de mutat.* liquet.

III. Denique id noſtrum doctiſſimum Sarpedonium rurſus monitum volumus, *Diphthongorum* Archaicum abuſum ab antiquiſſimis Tabulis ad recentiores ſæculorum ſecundi tertii, & quarti gradum feciſſe; præcipuè ubi finitimus erat ſonus, quo vocales, diphthongique pronunciabantur. Quod ex Lipſio *de rect. pronunt. Latinæ Linguæ* cap. XI. obſervavit Fabrettus cap. V. pag. 384.

E. Uſurpatur pro I in lapidibus ſæculi III. IV. V. Hinc legimus apud Fabrettum (*a*) *ſemplecia*, & *ſempleca* pro ſimplicia. *Bibates*, pro *vivatis*, eſt in acclamatione chriſtiana Martini,&Angeluſę inſcripta lapidi Cœmeteriali apud Boſium (*b*). *Anemæ benemerinti Apkicii, & Anemæ Innuceti Juſtini* apud Bollettum (*c*). Ut omittamus hìc quadraginta ipſa ſpecimina adhibitæ litteræ E pro I, quæ congeſſit Ioſeph Scaliger in Indice Gruteriano.

Invenies etiam E. O. pro *Idibus Octobris*. Et EID. pro Idibus. Legeſis Cl. Lupi pag. 88., & 89.

*Equorum* imagines Sepulcris appictæ ſymbolicæ ſunt, declarantque, ni fallimur, curſum illum, quo viam Mandatorum Dei Chriſtiani cucurrerunt; ut de ſe ipſo dixit David Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*.

F. Flavius, vel Flavianus, ut opinor, ſonat. Quare mutilam hanc Inſcripitionem

F. M.

(a) *Inſcript. Dom. c. viii. LXXXV.*
(b) *Rom. ſotterr. lib. 3. c. 4.*
(c) *Pag. 430., & 807.*

....F· M· N· S I L A N \ ...

....N. X V I I I.

R. C I V I S E

....ESARIS· AVGVS.....

ſic interpretor.

*Flavius Marcus Nero Silanus annnorum* XVIII. *Romanus Civis*, *& Cæſaris Auguſti* ......

Reperta fuit in Vinea nobiliſſimæ Familiæ *Gavotti* antiquitùs *Campo Vecchio* appellata in Territorio Cryptæ Ferratæ, quum Domus in ea pro ruſticatione conſtrueretur: plura etiam anaglypha ibidem inventa affabrè elaborata, quę etiam num in externis ejuſdem Domus parietibus affixa, & reliquiæ non modicæ aſaroti vetuſtiſſimi in Cæl la vinaria conſpiciuntur. Quamvis enim ſcripſerit Plin ius (*a*) emblemata, ſeu aſarora ſub Sulla incepiſſe: tamen multò ante opera ejuſmodi fuiſſe excogitata certum eſt; ut notavit Cl.Ciampinus. & eruditiſſimus Abbas Franciſcus Mariani (*b*) Civis meus. Etenim Lucilius, qui ante ſullana tempora floruit, eorum meminit verſiculis his.

*Quàm lepidæ lexeis compoſtæ ut teſſerulæ omnes*
*Endo pavimento, atque emblemate vermiculato.*

F. FIL. Idem eſt ac Filius: & prima aliquandò etiam Frater.

*Frumenti modius*, qui raò apparet in Chriſtianorum Epi-

(a) *Lib.* 36. *cap.* 25.
(b) *De Etrur. Metrop. cap. xiii. pag.* 87.

Epitaphiis, vel imaginem Chriſti repræſentat, quem Defunctus ſperat redditurum ſibi è Sepulcro prodeunti, *menſuram plenam, confertam, coagitatam, & ſuperfluentem* (a): vel ad *granum frumenti, quod cum mortuum fuerit, multum fructum affert* (a), alludit, vel tandem ſignificare poteſt ejuſdem demortui officium. Fuerunt enim antiquitùs *Menſores Cereris Auguſtæ*.

Hujuſmodi *modius* frumento refertus, ex quo prodeunt Spicarum manipuli cernitur in Epitaphio *Maximi* apud Cl. Lupi pag. 58.

IV. G. poſitum invenitur loco C in Inſcriptione Caii Julii ad Antium refoſſa, de qua ſupra diximus: ibi enim ſcribitur, ABAGTIS pro *Ab Actis*.

Γ. verò græcum in marmore Athenienſi ineunte Tiberii imperio poſito, Druſo Conſule ann. Chr. XVI. pro K collocatur: ΕΓ enim loco EK ibi legitur. In Bibliotheca Colbertina ea Inſcriptio ſervatur.

H. idem ſonat, ac *Horas*. Sæpiſſimè tamen in marmoribus vocem illam ſic Antiqui expreſſere: OR., & ORAS.

H. M. D. M. A, *Huic Monumento dolus malus abeſt*, vel *abeſto*.

H. M. S. D. M. *Hoc Monumentum ſine dolo malo* conceſſum eſt. Vide Cl. Fabrettum Inſcript. pag. 88.

HER. Hermes. Hæc ſigla legitur in lapide eruto ann. 1735. in ea declivi veteris Tuſculi parte, quæ Occaſum reſpicit. En ſpecimen ejuſdem lapidis, quod anecdoton puto.

D. M.

(a) *Luca vi.* 38.
(b) *Joan. xii.* 24.

D. M.

NARCISSO· CAES· N·
SER· FECIT· VETVRI
VS· APOLLON· CVR· APOL
LONIO. HER.

Diis Manibus
*Narciſſo Cæſaris noſtri.*
*Servo fecit Veturi-*
*us Apollonius, curante Apol-*
*lonio Hermete.*

Eodem loci, & hæc alia reperta, ſed imperfecta ſatis.

A N T I O C.....
A TH E N A I D I. L...
S V I S

Quæ legi poſſet.

*Antiocho, Athenaidi, Libertis ſuis.*

Fragmentum etiam Tabulæ marmoreæ his prægrandibus litteris inſignitum.

T O R Q.....

Quid ſibi velunt hæc grammata? Illud Euripidis *in Hip.* veriùs reſpondebo: Οὐ μάντις εἰμὶ, τ'ἀφανῆ γνῶναι

ται σαφῶς. Si quid verò conjicere liceat; fortaſſe *Torquatum* ſignificant. Etenim Titum Manlium *Torquatum* habuiſſe prædia in Agro Tuſculano infra manifeſtum fiet.

H. M. EX. H. N. S, Litteræ hæ in Epitaphiis frequentes habent formulam ſolemnem: *Hoc Monumentum Exterum Hæredem non ſequitur*.

H. V. V. S. Conſpiciuntur in Ara votiva, quæ in Agro Tiburtino extat apud Monachos Montis Oliveti: ſonantque *Herculi Valenti Victori Sacrum*.

I I. Duplex *i* ſæpè ponitur in titulis pro E. Hinc invenies. DIICBR., & DIICIIBRIS. pro *Decembris*. SIICTILI, pro *Sextili*.

I. Vocabulis ab SP, SC, ST, vel duplice alia incipientibus, ſæculis barbarè ſonantibus præponere Antiqui conſuevere teſte Reineſio (*a*): unde leges ISPIRITO, & etiam HISPIRITO: & græcè ΕΙ ΠΕΙΡΕΙΤΩ.

IH ☧. Ιησȣ͂ Χριςȣ͂. leguntur ea ſigla in lapide *Varroniæ Fotinæ* apud Cl. Lupi pag. 137.

V. *Interpunctio* aliquando prorſus omittitur in Inſcriptionibus, fatemur; At falſum eſſe arbitramur id, quod Cl. P.Lupi (*b*) aſſerit verbis his: *Quemadmodum conſiderandа non eſſet eorum* (punctorum) *omiſſio, quam frequentiſſimam in Lapidibus priſcorum Græcorum I, in quibus ſæpè, nullo interpoſito inter vocabula puncto, aut ſpatiolo, oratio tota continuatur, imitati ſunt etiam aliquando Latini*. Subjicit in Nota I. *neque antiquiſſimorum tantùm*, nimirùm Græcorum; *ſed & eorum, qui ſub Imperatoribus Romanis floruere*, ſcilicet punctorum omiſſionem ſecuti ſunt Latini. Etenim quam hoc, ut dicebamus, falſum ſit liquidò Sigea Inſcriptio græcarum omnium, ut creditur, antiquiſſima, demonſtrat. In ea ſiqui-

(a) *Syntagm. Inſcript. Claſſ. xx. 328.*
(b) *Pag. 75.*

ſiquidem non ſemel & iterum, ſed pluries, quandoque etiam poſt ſingula fermè verba puncta ſic: exarantur.

Vide Sigeam Inſcriptionem in Præfatione noſtra ad Epit. græc. Palęog. num. XI.

Interpunctio autem præter conſuetam, fit etiam hoc alio modo tum apud Latinos, tum apud Græcos ♡. Licet crediderint nonnulli ſignum hoc *cordolium* oſtendere, quo, qui poſuerint monumentum, laboraſſent. V.

Quandoque, ut refert Cl. Reineſius (*a*), puncti loco uſi ſunt notâ arabicâ ſextum numerum ſignificante ita 6. Et in Faniano marmore, quod noſtræ Diſſertationis pro græca Pronunciatione pag. 121. dedimus parvo ferè *o* punctum exprimitur, Idque etiam videre licet in Titulo 27. pag. 89., & 94. apud Lupi, quod tamen ipſe minimè advertit.

K. Æquiparat has duas litteras *Ca*, quod marmor in Villa Illmi Præſulis *Degli Atti* exiſtens ad ſenticetum Cryptę Ferratæ, ut mihi videtur, planum facit.

CLAVDIO VERO
EVOK. FLAVIA VERA
MAT. ET CLAVDIVS
VERVS. FIL. BENE
MERENTI FECE
RVNT

EVOK. Nimirùm *Evocato*. Claudius igitur erat ex iis Militibus, qui ἀνάκλητοι, ſeu evocati dicebantur.



(a) *Præfat. ad ſyntagm. Inſcript.*

Hi Milites licet eſſent veterani, & ſua expleſſent ſtipendia, in gratiam tamen Ducum ſpontè militiam ſumebant, & admodùm afficiebantur honore, immuneſque erant ab operibus militaribus: quin etiam *Vitem* geſtabant, & pro Centurionibus, quorum inſigne erat *Vitis*; habebantur. Ita apud Neupoort ſect. v. cap. 1. §. 3. pag. 349. Conſule etiam, quæ diximus de hac littera K in noſtra Palæograph. pag. 7.

K. *Kalendas* paſſim in lapidibus etiam ethnicis.

L. Reperitur hæc figura in græcis nummis, atque Herodis Attici Inſcriptione. In numiſmatibus Λυκάβαντος, ideſt *Anni* ſignificat.

*Ligones*, ſeu *Sarculi* in Epitaphiis ſculpti Chriſtianos Foſſores eo loci ſepultos interdum declarant, qui in Eccleſiæ primordiis ſpectatiſſimi, & Clerici erant: hinc Sanctus Hieronymus, ſive quiſquis ille ſit Auctor Operis, quod inſcribitur: *De ſeptem gradibus Eccleſiæ*, inquit. *Primus in Clericis Foſſariorum ordo eſt, qui in ſimilitudinem Tobiæ Sancti, ſepelire Mortuos admonentur &c.* Frequenter tamen ibi ſepultum eſſe fidelem Criſti *Villicum*, qui bona Domini ſui rectè adminiſtraſſet, impigrèque coluiſſet; oſtendere ſuſpicor. Lege cap. 16. Lucæ.

Animadvertas hìc quid Ligonibus ſimile in Ethnicis Monumentis inciſum inveniri, quod ab aliquibus per errorem Crucis figura exiſtimata eſt; cum revera Aſciæ imago ſit, ut dedicatio ipſa ſub Aſcia, quam præſeferunt, demonſtrat: de qua optimè doctiſſimus Mabillonius (a) *Nihil aliud volebant Veteres, quam ut ejuſmodi Monumenta magis inviolata redderentur ſub pęna Aſciæ, ſeu Capitis, quam Sepulcrorum violatoribus intentarent.*

M. Sæpè in Saxis antiquis deſideratur. Hin videbis in illis *Dece* pro Decem, *Annu* pro Annum. *Redepta* pro Redempta. Quandoque N uſurpatum eſt pro M.. ut li-

(a) *Euſeb. Rom. epiſt. ad Theophil. Gall. 2. Edit. p. 91.*

liquet in lapide Severæ, qui Romæ aſſervatur in Sacrario Sanctæ Mariæ trans Tyberim: in eo enim legitur NOBЄNB PЄIBOTC MHCωPωN &c.

M. *Menſes*, & apud Græcos Μῆνας non ſemel in lapidibus.

M. H. D. *Monumentum hoc dedicatum &c.* apud Cl. Lupi pag. 80.

N. Sæpiſſimè omittitur in voce Conjux, & *Coiugi* pro Coniugi ſcripſerunt Veteres. Idem fit in vocabulo Conſul, ut ex ſubjecta clarum eſt Inſcriptione. VI.

A S P E R

B I S C O S V L

P R A E F E C T V S

V R B I S

Reperta eſt hæc marmorea Inſcriptio eo loci, qui vulgò dìcitur *La Bagnara* ab antiquis Romanorum Balneis propè Cryptamferratam; dum Eminentiſſimus Cardinalis de Polignac circa eum locum excavari curabat anno circiter 1730.

Porrò Tabulæ Conſulares non ponunt Aſprum bis Conſulem, quare corrigendæ videntur; uti Inſcriptione edocemur. Et quamvis anno Chriſti 212. Conſules Julium Aſprum, & Julium Aſprum referant chronologicæ Tabulæ Cl. Hyacinthi de Graveſon (*a*), illi tamen bini erant Conſules, unum, idemque nomen habentes. Namque Cicero *de Legibus III.* ait: *Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, judicando, conſulendo; Prætores, Judices, Conſules appellantur.*

 Ibi-

(a) *Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. ix. p. 97.*

Ibidem hæc alia inventa eſt Inſcriptio.

IVLIÆ IVLIANAE SORORI ASPRI.....

Hìc autem non poſſum, quin vehementer mirer Cl. Jo: Lucam Zuzzeri S. J. (*a*), qui nullo teſte, nulla ratione valida, locum, ubi nunc Cryptaferrata, olim Ciceronis Villa, ut contra eundem, Deo dante, fortaſſe probabimus; totque nobilium Romanorum Ædificiis veluti circumdatum, quæ ipſis in amore, & deliciis erant: corrupto aeri obnoxium eſſe dixit. Contra verò *Sacchetti* Rus etiam num *La Ruffinella* appellatum ſaluberrimo perfundi Cœlo; & iis quidem rationum momentis, quæ ferè omnia Cryptęferratæ congruunt. Conſulere debuiſſet P. Lucas Zuzzeri, antequam ſuam proferret Sententiam; *Sacchi Bernardi* libellum, in quo hac ſuper re fuſiſſimè agit, & a noſtra ſtat cauſa: inquit enim „ Crypta Ferrata in eminenti Planitie poſita Orientem ſpectat: Burgetum ſitum eſt in Clivo ad Occidentem verſo, propè planitiem Agri Romani. Inter Burgetum, & Cryptam Ferratam antiqua Silva per ſtadii latitudinem clivum occupat: ab ipſa Silva Burgetum verſus, ideſt ab Occaſu aer, & aqua eſt inſuavis, cujus rei cauſa Oppidum deſtituere omnes inquilini aſſiduo morbo perciti jamdiù coacti fuerunt: E contrario autem a Silva ipſa Cryptam Ferratam verſus, hoc eſt ab Oriente, & a Montis regione, aer ibi amenus, innocuuſque die, ac noctu patet. Aqua etiam a Fonte in medio Pratorum ſaluberrima manet. Rationem hujus diverſitatis in eodem clivo admiratus Paulus III. Pontifex Maximus in rem præſentem profectus nullo modo reperit: quam ego quoque inquiro. Burgetum ſulphureum fœtorem haurit ab infami, & perniciosa fovea exhalantem, quæ Sulphurata dicitur, & in pla-

(a) *Di una antica Villa &c. Diſſert. p. 12.*

Digitized by Google

planitie Agri Romani ſita, parum ab ea diſtat. Qui quidem fœtor ſpirante Occidentali vento directo flatu in Burgeti oram infertur, ſed minimè ipſe fœtor Silvæ locum, clivumque tranſcendit; quod experimento unicuique patet: nam ſi ab hac Silva egreſſus in Prata Cryptæ Ferratæ Monaſterio propinqua, gradum feceris, Orientalis plerumque aura a Monte perflans obvia tibi erit, ac recreabit euntem: quæ quidem aura, tum quod Orientalis eſt, tum etiam quod ab innocuo Monte prodit: ubi Rocca Papia inſidet, ſana eſt. Si qua igitur fœtoris pars, malitiaque in Silvam a Sulphurata irreperet, aut ſi qua æſtivi caloris moleſtia a Romana planitie ſurſum evaderet; illa ipſa Orientalis aura ab alto, validiùſque prodiens omnem aeris impuritatem facillimè deorſum pelleret, ac in Burgeti ſitum longè inferiorem juvante deſcenſu omnino detruderet; malumque malo in ipſius infelicis Oppidi perditionem adderet. Crypta Ferrata ab aeris impuritate ſemper illæſa. *Lib. 1. c. 7. de Italicarum rerum varietate, & elegantia.*

Equidem N omittere etiam Greci conſuevere, præſertim in Romanorum nominibus referendis, ut inter cæteros Cl. Senator Philippus Buonaroti in ſuis collectaneis ad Vitra antiqua notavit.

Sæculo tertio, & quarto ab eo uſu Romani non abhorruere; qui tamen etiam temporibus linguæ purioris in vulgari ſermone, & ſcriptione ſæpè litteram N omiſiſſe videntur.

N. *Nepos*, ut eſt in Marmore Imperatoris Trajani Hadriani.

*Navis* quandoque Marmoribus inſculpta cernitur. Verùm de hoc, aliiſque ſymbolicis figuris Cl. Leonardus Agoſtini audiendus eſt, qui Tomo primo pag. 17. Sancti Clementis Alexandrini Sententiam referens hæc habet.
» Per la Colomba Clemente Aleſſandrino intende lo Spi-

rito


rito Santo, per lo Peſce la Menſa di Criſto apparſo a Diſcepoli dopo la Reſurrezione, o li cinque Peſci, con li quali ſaziò cinque mila Uomini, per la Nave la Chieſa, per la Lira la Concordia, per l'Ancora la Coſtanza per li Peſcatori gli Apoſtoli, o il Batteſimo &c. „ quare Navis, de qua ſermo eſt, Eccleſiam notat, in qua, ibi ſepultus piè obiit.

VII. O. In Marmore Severæ, de quò ſupra diximus, ponitur pro V.

O. P. *Oſſa poſita*: in vaſculis aliquando ea ſigla inveniuntur.

O. Gerit vices puncti, ſicuti jam notavimus: quapropter titulus 41., quem Cl. Pater Lupi non legit; quia id non obſervavit, ſic legendus eſt. AVLI AETEI Ante Diem VI. Nonas MARTIAS.

OP. Opus, præſertim in figulinis.




*Opus ſervile Fortunati Mardonæ ex Prædiis Titi Manlii Maximi Severi.*

Ta-

Tabula hæc fictilis in Vinea, de qua ſupra locuti ſumus, DD. Gavotti reperta eſt.

PC. *Poſt Conſulatum*. Apud Lupi p. 25.

P. P. *Pater Patriæ* in Marmore Imp. Adriani, de quo jam diximus.

P. vice B. in lapidibus nonnunquam collocatur, ideoque leges in eis OPSEQVENS pro Obſequens &c. Veteres quippe conſonantes, quas *tenues* dicimus, cum iis, quas medias vocamus, alternare ſolebant.

*Pedum* effigies in Chriſtianis Sepulcris expreſſa, veluti anathema quoddam eſt Deo ſacrum pro bene abſoluta peregrinatione ea, qua *peregrinamur a Domino*, ut verbis Apoſtoli utar 2. *ad Chorinrh*. 5.. At etiam Ethnici veſtigia, ac pedes in Monumentis ſuis exculpſerunt. Et ſanè pedum potiſſimùm curationes Iſidi acceptas veteres retulerunt: eorumque figura tanquàm memoria curationis offerebatur:

De *Piſcibus* in ChriſtianorumLapidibus ſculptis diximus ſupra. Hìc unum adjicimus: ſcilicet vox iſta ΙΧΘΥΣ *Piſcis*, quæ non raró in Chriſtianis Monumentis reperitur; refert voces has ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. Etenim ſi harum primas litteras conjungas, ΙΧΘΥC conflabis, in quo nomine Chriſtus myſticè intelligitur, quia in huju mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate vivus hoc eſt, ſine peccato extiterit. Conſule S. Auguſt. lib. 18. *de Civit. Dei* cap. 23.

P. P. *Præpoſitus*, vel *pro Prætor*. In lapide Antii ſupra memorato.

P. K. *Pridie Kalendas* non ſemel in Marmoribus.

P. M. *Plus minus*. SPIRTO· SANCTO· INNOCENTI· QVI VIXIT· AN. PM. II. apud Reineſium. Syntagm. Inſcript. Cl. xx. 193.

Q. *Quæſtor* in eadem inſcript. nuperrimè dicta. VIII.

*Quæ-*


*Quænit*. *Quixit*. pro Quæ venit; & Qui vixit, non rarò in Lapidibus.

R. Dȩ hac littera græcè ſumpta, vide quæ diximus in noſtra Palæograph. pag. 10.

SP. *Sepultus*: apud Cl.Lupi pag.96.

S. T. T. L. *Sit tibi terra levis*. Solemnis precatio apud Ethnicos, prȩſertim verò apud Provinciales Hiſpanos.

SVL. *Sulpitii*, *Sullæ*, & *Sullani*. Eſt in tegula ad Vineam, quæ dicitur *Roſati*, non longè ab ampliſſimo Ciampini Vineto diſtantem, eruta; a Cryptæ Ferratæ verò Cœnobio mille circiter paſſ. disjunctam. Ea autem ſic habet.




*Vinigiſa via Sulpitii*. Equidem præter multa veterrimæ Villæ rudera, Porticum, Parieteſque reticulatos, cernuntur etiam in eadem Vinea reliquiæ viæ antiquiſſimæ latis lapidibus ſtratæ.

T. Frequenter in lapidibus mutatum eſt in D, ut vidimus ſupra.

TIT.

Digitized by Google

TIT. *Titulo*. Varii ſunt tituli, quos etiam, ni decipimur, *Dedicationes* appellant Scriptores; his Chriſtianæ Inſcriptiones ab Ethnicis, & verſa vice Ethnicæ a Chriſtianis plurimùm ſecernuntur. Præcipuos utrarumque hìc nos proferemus. A Chriſtianis Inſcriptionibus exordiamur.

☧

Sigla hæc idem ſonat, ac Χριςὸς *Chriſtus*, & ſæpiſſimè in marmoribus inter Α, & Ω collocata, vel ante Conſtantini tempora, ut putant nonnulli, conſpicitur: frequentius tamen poſt impium Arii dogma ad decus nominis Chriſti, ejuſdemque Divinitatem probandam uſurpata fuit.

D. P.

*Deo Potenti*, ſeu *Deo Pacis*, quibus nominibus Deus in Sacris Scripturis frequentiſſimè appellatur. Quandoque idem eſt ac *Depoſitus*, vel *Depoſitio*.

D. M. S.

*Deo Maximo Sacrum*. Frequenter in Marmoribus.

Θ. Κ.

Θεῷ κρατίςῳ, vel Κτίςῃ *Deo Optimo*, ſeu *Creatori*. Attamen advertas velim eaſdem prorſus litteras in Ethnicorum Monumentis reperiri: tumque ſic exponendas Θεοῖς καταχθονίοις: *Diis manibus*.



Digitized by Google

# SOMNO HETERNALI.
# DOMUS AETERNA.

His ſuper duobus Titulis Fabrettum (*a*) audias dicentem „ Domus æternæ commemorationem non a Gentilitate, ſed a Sacra potius Pagina deſumptam opinari debemus. Quippe qui in lib. Eccleſiaſt. cap. 12. verſ. 5. ita habetur : *Ibit homo in Domum æternitatis ſuæ*. Et Pſalm. 48. verſ. 12. *Sepulcra eorum Domus illorum in æternum*. Quanquam igitur Ethnici ſpe reſurrectionis orbati, ita & ipſi loquuti fuiſſent; aliter tamen hanc loquendi formam accipere poterant Chriſtiani,ut explicat ex SS. Patrum ſententia P. Cornelius a Lapide ad illum Eccleſiaſtici locum „ Idem ferè dic de *Somno æternali*, deque phraſibus his: QVIETI ÆTERNÆ, SECURITATI ÆTERNÆ, DOMUS PERPETUA, quum repereris in Chriſtianorum Epitaphiis. Nunquam enim Chriſticolæ cum Ethnicis ſenſerunt, ſomnum eſſe mortis Fratrem, Matrem verò utriuſque noctem; neque vita Defunctorum corpora in Monumentis perpetuò detineri crediderunt : ut ſenſiſſe videtur Virgilius verſibus his de Orode a Mezentio interfecto loquens lib. x. v.745.

*Olli dura quies oculos, & ferreus urget*
*Somnus in æternam clauduntur lumina noctem*.

Sed Ethnicorum phraſibus etiam in verſiculis uſi ſunt, cum ſua ponerent Monumenta; quòd, ut optimè notavit eruditiſſimus Fabrettus loco citato: *Facilè erat ...... tunc inextinctæ Gentilitatis phraſibus, poetico præſertim ſtylo aliqua imitari, inconſideratè potius, quàm impiè, quæ adultæ jam Religionis temporibus reſecata ſunt*.

Ut

---

(a) *Inſ.rip. antiq. cap.2. v. 112.*

Ut autem omninò Chriſtianas Inſcriptiones ab Ethnicis diſtinguere ſcias, hæc tibi regula, quam doctiſſimus tradidit Mabillonius (*a*) ſervanda eſt. *Unum*, inquit, *adjicere lubet de quibuſdam notis in ſuperiori Epiſtola præter miſſis, quæ tumulos Paganorum diſtinguunt. In his cenſenda puto vocabula*: Depoſitus, ſeu Depoſitio: Quieſcit in pace: Vixit in ſæculo: Tranſiit: Bonæ Memoriæ: *Quæ haud ſcio, an unquam Paganis tributa reperias. Idem cenſendum mihi videtur de notatione Kalendarum, Nonarum; & Iduum in Epitaphiis, quæ rariſſimè, ſi tamen unquam in Epitaphiis Gentilium occurrunt.* I X.

At Canonem hunc de Kalendis, Nonis &c. ita intelligere debes; ut raro admodùm Ethnici eas in Lapidibus, non ita, ut nunquam expreſſerint. Etenim non ſemel & iterum, ſed ſæpius etiam Kalendarum, Nonarum, atque Iduum mentionem eoſdem feciſſe in Monumentis compertum eſt. Legeſis eruditiſſimum P. Lupi pag. 77.

## §. *I X.*

I. De Siglis Ethnicarum Inſcriptionum.

PErgamus nunc Ethnicarum Inſcriptionum titulos, primuſque ſit ille notiſſimus.

### D. M.

DIs, vel *Diis Manibus*. Conſueverunt ſiquidem Ethnici ab eis litteris ſepulcrales Inſcriptiones ordiri; quòd Animas Defunctorum jam corpore exutas, & ſpiritales, quid ſacrum eſſe crederent: unde omnia Religionis officia, quæ Cineribus, Oſſibuſque tumulatis præſtabant, in Animas ipſas referri arbitrabantur. Equidem lata lex erat apud Romanos (quod perſpicuum eſt ex XII.

 Ta-

(a) *In Append. ad eam Epiſt. quam ſub nomine Euſebii Rom. ſcripſerat &c. Ed. t. 1. pag. 40.*

Tabulis ) ut *Manes Dii haberentur. Deorum Manium Jura Sancta ſunto. Hos letho datos Divos habento.*

Idem titulus ſic etiam aliquando exaratur in Lapidibus. D M. B V S.

D. D. O.

*Diis, Deabus Omnibus*. Scriptus eſt in rotunda Ara, quæ nunc eſt pro Baſe Imagini Chriſti Cruce infixi in oppidulo *S. Viti* Carinthiæ.

M. D. M. I.

*Magnæ Deum Matri Idææ*: nimirum Cybelæ, quæ in Ida Monte præcipuè colebatur. Habet Inſcript. in Baſilica S. Sebaſtiani exiſtens.

I. O. M.

*Jovi Optimo Maximo*. Hic titulus frequenter cernitur in Ethnicis lapidibus.

D. M. S.

Dedicatio iſthæc ſæpè conſpicitur in priſcis Monumentis, atque explicatur *Diis Manibus Sacrum*.

I. O. M. D.

*Jovi Optimo Maximo Deorum*. Apparet in quadam Ara Votiva non adhibita quidem in uſum Sacrorum, ſed extructa pro ſalute Auguſti Septimi Severi Pertinacis, & M. Aurelii Antonini Pii, quam refert Baudelotius *L. De util. peregrin. Laribus*. Ex qua clarum fit Veteres Diis voti cauſa Aras erexiſſe, inque illis inſculpſiſſe verba.

D.N.M.

D. N. M.

Eſt in Marmore apud Urbem Sabinorum, *Novum Forum* dictam, vulgò *Veſcovio*, invento, atque *Gordiano Aug.* a Foronovanis erecto. Explicatur verò *Domino Noſtro Maximo*: vel melius fortè, ut ex ipſa Inſcript. eruitur: *Devoti Numini Majeſtatique*.

B. D.

*Bonæ Deæ*, quæ ab aliquibus Coniux, aut Filia Fauni putata fuit, cujus cum proprium nomen ignoraretur, *Bona Dea* cognominata, & etiam *Favonia*, & *Fatua*, quòd & faveret omnibus, & Pueros fari doceret. A Cicerone *in Orat. de Aruſ. reſponſis* contra Publium Clodium *Magna Mater*, *Deorum Mater* appellata fuit.

M. B. M.

*Magnæ Berecyntiæ Matri*, ſcilicet Cybele Deorum Matri: Hinc Virgilius lib. 9, Æneidos.

*Ipſa Deum fertur genetrix Berecyntia magnum*
*Vocibus his affata Jovem.....*

D. M. VIGI.


DIS *Manibus* VIGILVM, vel *Vigilibus*. Niſi fortè Quadratarius, quod in ipſa Inſcriptione ponere debuerat, ſuperpoſuerit eo loci, ubi ſcribi debuit *S. Sacrum*. Illud tandem notandum, tum in Chriſtianis, tum in Ethnicorum Inſcriptionibus haud raró Titulum deſiderari. En tibi pro hac re ſpecimina duo.

HIC

HIC REQ -- XYSTVS INP QVIV

DEPIIIID FEB

*Hic requieſcit Xyſtus in pace, qui depoſitus eſt III. Idus Februarii*. Unde hanc deſumſimus Inſcript., prorſus obliti ſumus: neque tenemus, quid ſibi velit ea litterula poſt QVI poſita; niſi legere mavis QVI VIXIT..... *Depoſitus &c.*



*Marci Lucii Laberti Secundi Sepulcrum*. Volui hanc referre Inſcriptionem non modò, quia ἀνέκδοτος eſt, ſed etiam, quòd, ut opinor, rariſſima, utpote in tegula veterrima ſculpta. Reperta fuit anno 1735. dum Vinea DD. Paſſerini paſtinaretur, xxxx. ferè paſſ. a Monaſterio Cryptoferatenſi disjuncta. Tum porrò eodem loci Sepulcra penè triginta tegulis conſtructa, vaſculis etiam lacrymarum appoſitis, lucerniſque, quarum nonnullæ apud me ſervantur; detecta ſunt. Ex iis erant nonnullæ inſcriptæ, una-

unaque de illis has præſeferebat litteras TICL Γ : quas ita interpretamur *Titi Claudii Secundi* , ut altera tegula, quæ integra erat, atque his inſculta litteris edocemur. *Ex Prædiis Titi Claudii Secundi Lucillæ Veri* : quapropter ſupradicta Inſcriptio verius ita legenda eſt. *Marci Claudii Veri Secundi Sepulcrum*. Siquidem ejuſdem littera ſecunda ſic efficta L , erat forſitan C.

VV. *Vir Venerabilis*.

VP. *Vir perfectiſſimus*, vel *Vicarius Præfecti*, ſive *Vir Patricius*. Videſis Lupi pag. 12.

V. Hæc littera in Saxis ſolitaria apparens , ſignificat, lapidem poſitum eſſe aliquo Vivente ; ut evincit Fabrettus inſcript. cap. 1. pag. 32., & 33.

V. Frequenter in priſcis Marmoribus poſitum eſt loco I. Hinc leges in eis SEPTVMVS, MAXVMVS &c.

V. pro T ſæpè uſurpabant Veteres, ut notavit Reineſius, & Marianus pag. 195. de Etr. Metrop. Unde in Faliſcis extat lapis ſic inſcriptus ARTI TOLVMNIO, pro *Volumnio*. Etiam poſitum eſt pro Y, & Cruptam pro Cryptam quandoque dixerunt . Aliquando etiam adſcivit ſibi O, & OVRNA , pro Vrna ſcriptum eſt, ut liquet apud Dempſterum Tab. LXVII., & Tab. LXXIII.

V. S. L. M. *Votum Solvit Libens Merito* : Phraſis hæc non infrequens in Monumentis.

X. In Lapidibus loco S exaratum eſt , & REQVIEXCIT IN PACE pro Requieſcit. Inſuper in Titulo 33. 36 , & 46 eadem littera puncti munere fungitur apud Cl. Lupi pag. 89., & 138.

Sed ad propoſitum revertamur, mihique ita te affari liceat Sarpedoni ornatiſſime. Qui fieri potuit , ut litterarum Effectores , Auctoreſque inſcriptionum pro ἦτα, ἰῶτα, pro αι, ει &c. ε, ι &c. pro βῆτα V ponerent, ſi nulla inter eas litteras fuiſſet ſoni cognatio? Quomodo ſi η II.

Ex poſitis Inſcript. Argumentum contra Sarpedonium inſtauratur.

ut

ut ε laxum, si αι ut *ai*, si ει &c. ut *ei* ſonarent tam frequens error apud Veteres ſæculi etiam felicioris in ſcribendo? Ipſe ex eo quod εε in unum η, εη in ῆ, εε in ῆ εα in η coaleſcant, & contrahantur; arguere vis η duobus ε æquivalere: quanto magis ex eo ſcribendi modo adeo vetuſto, & frequenti ego oppoſitum colligam? Quod ſi firma eſſet ea tua conjectura, equidem conſequens foret; ut, dum Attici dicunt προύβαλε loco προέβαλε, προὔδωκε pro προέδωκε; τοὔνομα pro τὸ ὄνομα; βασιλεῖς pro βασιλέας: οε, εο, & εα æquivalerent litteris his ου, & ει: quod certè non concedes, opinor.

*pag.* 29.

III.

De H., quæ prius ſimplex aſpiratio erat, a Simonide in uſu litteræ poſita.

*pag.* 28.

Sed quia lis acris, ut ais, Græcos inter, & Eraſmi ſectatores fuit, fuerit ne ἦτα ut i, an verò ut e longum a majoribus prolata; de origine litteræ hujus me verba facere cogis. Ante Simonidis tempora H pro aſpiratione habebatur, ipſe verò vocalium longarun inventor, priſcum H dempta aſpiratione E longum eſſe juſſit, nomine, & figura retentis, ſed poteſtate variata; verùm ne Græci aſpiratione carerent, veterem notam ſciſſo medio apice in duas diviſit partes, quarum prior ├ aſperum, ┤ altera lenem ſignificaret ſpiritum; quas cum negligentia ſequentium ſæculorum adſcribere præteriret, tacito Græcorum conſenſu aſpiratio e litterarum numero exploſa eſt. Quocirca ſi attentè conſiderare velis, unde exorta eſt littera H, invenies profectò ex triplici veluti I originem habuiſſe, meritòque illius penè ſonum ſervaſſe dicendum eſt. Et quamvis libentiſſimè demus H per E olim expreſſum fuiſſe, malè tamen inde infertur H ut E laxum fuiſſe enunciatum: nam illud E variè legebatur Victorino (*a*) aſſerente: E, & O *ternas habuiſſe apud Græcos poteſtates, ut* E *eſſet breve, & productum, &* I *quodammodo ſonaret, cum & E, & I junctum eſſet: & O lon-*

(a) *De Orthograph. p. 96.*

*ſimiliter quoque cum eſſet unum, brevem & idem faceret longam ſyllabam; præterea exprimeret vocem, quæ apud eos per ο, & υ ſcribitur ȣ.* Hinc eidem (*a*) multa peccare viſi ſunt Græci, *quòd aliis litteris ſcribebant, quàm quibus enunciabant, & aliter legebant, quàm ſcribebant.* Hinc etiam ratio in promptu eſt, çur quondam Græci ε vocarint ει, uti Plutarchus in libello περὶ τȣ̃ ει, quod Delphis inſcriptum erat, tradidit; quia nimirùm ejus poteſtas non ſolùm ad ε, ſed etiam ad ſonum magis tenuem I pertinebat. Porrò longitudo hujus litteræ H in protractione ſoni conſiſtit, & E citius enunciatur, quàm H, tempore ritè, præſertim in Poeſi ſervato. Sed quæris jam, ſit ne ille ſonus protractus ad E laxum, vel ad I inflectendus? id nec Ariſtoteles in Poetica, nec Plutarchus definit: neque id nobis dicere videtur Auſoninus verſiculo hoc:

Ἧτα *quod Aeolidum, quodque* E *valet hoc latiare* E.

Nam E latinum plures habuiſſe ſonos jam ſupra diximus: Quin Latini græcum η modò in ſuum e, modò in i vertiſſe ex dictis perſpicuum fit. Aliquando etiam in æ diphthongum, aliquando in *ia* commutarunt; Servio (*b*) dicente: *Græca nomina in η litteram exeuntia, cum derivationem faciunt, η in æ diphthongum convertere, ut* αὐλὴ *aulæa,* αἴτνη *ætnæa.* Et. *Græca, quæ in η exeunt, idem plerumque in ia ſolvere, ut* ἱπποδάμη *hippodamia,* πηνελόπη *Penelopia.* Adde, quod Dores ipſi η, ε, ο, ω, & ει in α convertunt: tamen quis unquam ſibi perſuaſerit, *a* ab iiſdem ſono ex his omnibus permixto fuiſſe pronunciatum? Quibus de cauſis non Sectatorum Eraſmi, ſed politiorum veſtigiis Græcorum inſiſtere debemus, qui a temporibus remotiſſimis ἦτα ut I longum ubique gentium extulerunt; ne nobis illud Cottæ vitio vertatur, qui Cice-

I ro-

(a) *Ibid. pag.97.*
(b) *Lib.1. Æneid. p.531. & lib. 3. Georg. ab init.*

rone teſte in *Bruto*, quia ſe valde dilatandis litteris a ſimilitudine græcæ locutionis abſtraxerat, ſubagreſte quiddam, planèque ſubruſticum ſonare viſus eſt.

IV. Controverſia auctoritate Dionyſii Halicarnaſſ. dirimitur.

Verùm controverſiam hanc dirimere omninò videtur Dionyſius Halicarnaſſeus (*a*) qui de ea littera hæc ſcripſit. Δεύτερον δὲ τὸ η, ὅτι κάτω περὶ τὴν βάσιν τῆς γλώττης ἐρείδει τὸν ἦχον ἀκόλουθον, ἀλλ' οὐκ ἄνω, καὶ μετρίως ἀνοιγομένου στόματος. *Poſt hanc*, ſcilicet Alpha ſequitur η, *quod infra ad baſim linguæ, non autem ſupra, firmat ſonum conſequentem ore convenienter aperto*. Si locum hunc perluſtrare volueris, intelliges profectò ex eo Scriptore, qua vocales ſingulæ ſint ratione pronunciandæ.

## §. X.

I. ταυτοφωνία Græcis vitio non eſt vertenda. *pag.* 18.

COmmodùm nobis hic ex noſtra pronunciatione ortam ταυτοφωνίαν objicis Sarpedoni. Non enim, ut ipſe ais, ſonos τῶ ι, ε, & η ampliùs diſcernimus. Idem nobis ſonant ὑμῖν, & ἡμῖν; idem ἵπποις, εἴπεις, & ὕπεις &c. Verùm hanc, ſi Linguæ Græcæ ęquus fueris Æſtimator, & Judex; nequaquàm Græcis vitio vertere debes: quemadmodum Plato ipſe in *Cratylo* veteres Græcos vitio non inſimulavit, quòd exiliore ſono magis fuerint delectati; inquit enim οἶσθα ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι τῷ ἰῶτα . . . . εὖ μάλα ἐχρῶντο. Immo illius veteris moris mutationem diſplicuiſſe Platoni, planum fit ex eodem loco, quem tu probè legiſti.

Fatendum etiam eſt, per hanc ταυτοφωνίαν evadere Græcos quodammodò graciles, & quam par ſit, exiliores; tamen quis eos hac ſuper re damnare, quis in lingua græca, quæ libera eſt, ſuique juris, permutare quicquam audebit? Adde, quod id ipſum Græcis invidere viſus ſit Quin-

(a) *Tom. 2. p. 12. De Nominum compoſ.*

Quintilianus (*a*) ita ſcribens: *Non poſſumus eſſe tam graciles? Simus fortiores. Subtilitate vincimur? valcamus pondere*. At quod ad hoc ſpectat, nonne ſunt, ut dicitur, in eadem navi & Græci, & Latini? nonne utrique eadem penè *ταυτοφωνία* laborant? Vidimus ſupra §. 4., & §. 5. Latinos è vocabilibus E V, & Y, e diphthongis verò EI, & OI inſtar I ſæpè enunciaſſe. Equidem, ut cæteros omittam, Jul. Cæſar Scaliger (*b*) hæc memoriæ prodere non dubitavit. *Litteræ* A *ſemper idem ſonus extitiſſe videtur*; *at non ſic cæteris*: *namque* E *latius ſonat in adverbio benè*, *quàm in adverbio herè*; *hujus enim poſteriorem vocalem exilius pronunciabant*, *ita ut etiam in maximè exilem ſonum tranſierit heri*. Quod verò ad eas attinet diphthongos, audiatur Priſcianus (*c*) qui disertè inquit: I *apud antiquos poſt* E *ponebatur*, *&* EI *diphthongum faciebat*, *quam pro omni* I *longo ſcribebant more antiquo Græcorum*. Audiatur Agellius (*d*), qui ex Nigidio hæc profert exempla. *Si hujus amici*, *vel hujus magni Scribas*, *unum* I *facito*: *ſi verò hi magnei*, *hi amicei caſu multitudinis recto*, *tum* E *ante* I *ſcribendum erit*: Unde certum eſt nomina, quæ ſono prorſus conveniebant, Scriptura tantùm fuiſſe diſtincta. Illis adjicimus hunc Victorini (*e*) inſignem locum. *Litteræ peregrinæ ſunt* Z, *&* Y, *quæ propter græca quædam aſſumptæ ſunt*, *ut Hylas*, *& Zephyrus*; *quæ ſi non eſſent*, *Hælas*, *& Dſephurus diceremus*: *Attende*, inquit Lipſius, *Hylas ſcriberetur Hælas*, *at quæ affinitas ſonorum*? *ſi verò affines illi*? *nam* Y *græcum reſpondet* V *tenui latino*, *ſed & juxta Victorinum* OE *diphthongo*, *unde quis ejus olim ſonus fuerit*, *patet*. His aſſentitur Feſtus (*f*) dicens: *Ab olæs dicebant*

I 2 *pro*

(a) *Inſtitut. Orat. lib. 12. c. x.*
(b) *De Cauſis L. Lat. lib. 1. c. 8*
(c) *Lib. 1. gramm.* (d) *Noct. Att. lib. 13. c. 25.*
(e) *In art. gramm. de pron. p. 49.*
(f) *Apud Vveſt. Orat. II. pag. 39*

Digitized by Google

*pro ab illis. Læberum, & læbertatem antiqui dicebant, liberum, & libertatem; ita Græci* λοιβὴ, *&* λείβω. Omnium clariſſimè Scioppius (*a*) *Nimirùm Latini aliàs Leibar, aliàs Loiber, nulla pronunciationis differentia ſcribebant, cum utrumque liber ſonaret, ſed* I *pingui, quod inter* V, *&* I *medium ſonum obtinet*.

II.

Quare major apud Græcos, quàm Latinos ταυτοφωνία.

Agnoſcitur ergo in utraque lingua, niſi omnia me fallunt, eadem ferè *ταυτοφωνία*, idemque Jotaciſmus. Et quamvis Latinos magis magiſque ſuam excolentes linguam, quodque a Cæſare (*b*), & Auguſto (*c*) factitatum eſt, quorum alter *lacrimæ* pro lacrumæ, *maximus* pro maxumus: alter verò ſcilicet Octavius *ſimus* pro ſumus, *domos* pro domus genitivo caſu ſingulari enunciavit; diligenter ſervantes, ab ea loquendi conſuetudine receſſiſſe, verum ſit: id tamen ideo factum eſſe putamus, quòd ipſi minimè tot litteris, quot etiam num Græci, abudarent. Si quid autem incommodi habet res iſthæc, quod certè apud Græcos leviſſimum eſt; (tot enim vocalibus, tot diphthongis Lingua græca redundat, ut; etiamſi quatuor, pluresque idem penè ſonent; haud tamen *monodiæ* nomine redarguenda ſit, cum numerus illarum longè eas ſuperet, quæ tono ab his diſcrepant) incommodo illi ipſa Orationis ſeries facilè medebitur, ſenſumque aperiet; ne *εἴποις* pro *ὕπεις* vel pro *ἵπποις* &c. ab audiente accipiatur. Præterea ſicut apud Latinos nominum ambiguitas apicibus ablata eſt: unde hæc Scaurus lib. de Orthographia. *Apices ibi poni debere ubi iiſdem litteris alia, atque alia res deſignatur, ut venit, & venit, aret, & aret, legit, & legit, cæteraque his ſimilia*. Ita multò magis apud Græcos, qui accentus ſuos adhuc ſervant, in plurimis vocibus idipſum eveniet. Tum utique moleſta, &

fa-

(a) *In Gramm. philoſophica*.
(b) *V. Caſſiodorum lib. de Orthogr., & Iſid. lib. 1. Orig. cap.26.*
(d) *Apud Sueton. lib.2. pag.25.*

faſtidioſa in omnibus eſt *παυτοφωνία*, & *μονωδία*, cum quis dedita opera ſic verba ſimilia accomodat, ut eundem omninò ſonum reddant. Aut etiam cum liberalium artium amator quis videri velit, uni interim diſciplinæ animum intendit; deque ea, inſtar imperiti Citthariſtæ, qui unam, eandemque chordam ſemper attrectat, ubique, atque apud omnes verba facit: tum equidem *μονωδία*, ut præclarè Plutarchus (*a*) ἐν ἅπασιν ἐστὶ πλησμιόντι, καὶ προσαντὲς.

## §. XI.

I. Linguam græcam in pronunciatione, & phraſi aliquid vitii contraxiſſe concedimus, ſed apud plebejos.

HÆC igitur ex hactenus dictis de Græcorum pronunciatione ſancienda ſunt: eam nimirùm vel a Platonis tempore aliquam ſubiiſſe mutationem. Καὶ οὐχ ἥκιστα, inquit ille, ut ſupra vidimus, αἱ γυναῖκες, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι· νῦν δὲ ἀντὶ μὲν τοῦ ἰῶτα, ἢ ε, ἢ ἦτα μεταστρέφουσιν, ἀντὶ δὲ δέλτα ζῆτα, ὡς δὴ μεγαλοπρεπέστερα ὄντα·... *Mulieres verò maximè, quæ priſci ſermonis ſonum puriùs conſervant. Nunc verò litteras ι, & η ita deflectunt, ut pro jota utantur epſilo, vel ita; pro delta verò zita, quaſi magnificentius quiddam hoc pacto ſonent vocabula*. Et ſanè quod ad Mulierum pronunciationem ſpectat, id ipſum & Cicero animadvertit *lib.3. Orat*, ita inquiens. *Facilius Mulieres incorruptam antiquitatem conſervant, quòd multorum ſermonis expertes, & tenent ſemper quæ prima didicerunt*. Ea autem mutatio quàm minima certiſſimè fuit; & ut loquuntur, *accidentalis*. Veram profectò, certamque viciſſitutidinem paſſa eſt pronunciatio, græcaque lingua varias contraxit ſordes; quum hæc ab Alexandri Succeſſoribus in Ægyptum, & Syriam tanto fuit introducta cum dominio; ut præ patrio Syrorum, Ægyptiorumque ſermone græcus pra-

(a) περὶ παίδων ἀγωγῆς.

prævaluerit : atque Alexandria per Ptolomæos, & Macedones ex Ægyptia, Græca, græcarumque liberalium Artium Mater evaſerit, atque Magiſtra. Hinc appellatio orta Συρομακεδόνων, & Συροελλήνων. Hinc pluriinæ Romanorum voces, qui in Græciæ Imperio Macedonibus deinde ſucceſſere a Græcis receptæ, ut in Euſebii, Athanaſii, Baſilii, reliquorumque diſertiſſimorum hominum Operibus reperire licet. Quæ quidem græcæ linguæ depravatio tum occæpit maximè, altiſſimaſque radices egit; quum M. Conſtantinus in Thracia Imperii ſedem collocavit. Ea ſiquidem tempeſtate in Principum ædibus Romanus, apud Populares verò græcus ſemper uſurpatus eſt ſermo: quare neceſſe fuit ut Romani græcum, Græci romanum addiſcerent; quò verba ultrò citròque habere poſſent; ſeſeque mutuò intelligerent. Anno tandem MCCCCLIII., quo Turcæ capta Urbe Conſtantinopoli Orientis Imperium invaſerunt, illudque armis longè, latèque auxere: haud minores, ne majores dicam, fœditates Lingua græca, ejuſdemque pronunciatio ſuſcepit. Etenim Lingua latina ſi Gothorum, Vandalorum, aliorumque hoſtium invaſione magnum cepit detrimentum, (confeſſa res eſt, & manifeſta) idem profectò græcæ ſub turcica poteſtate accidiſſe putandum eſt.

II. Quænam fuerit ejus vitii cauſa?

Quæ autem huc uſque retulimus, ſup.cit.Cl. Waltoni dictis confirmantur. Quanquam Auctor iſte nimiùm ſuæ Sententiæ favere, & quæ a falſis diſtinguenda non diſtinguere, ut infra planum fiet; videatur. Ea verò ſunt hæc. *Longè ante Turcarum invaſionem barbariei veſtigia in græca lingua reperiuntur: hoc verò non ex Gothorum inundatione profluxit, ſed partim ex rerum omnium viciſſitudine, quam tempus edax rerum in Linguis efficit; partim ex translatione Sedis Imperii, quæ multa vocabula Romana in Græciam invexit: maximè verò ex ipſa Græcorum incuria, & affectatione, dictiones decurtando, confun-*

*fundendo, vocales, & diphthongos aliter pronunciando, & accentus a ſyllabis propriis transferendo.*

Equidem dubium non eſt, quin variæ ſint linguarum omnium ætates: Latinæ Ciceronis, & Livii ævo, & Græcæ Platonis, ac Demoſthenis ſumma extitit perfectio; utrique verò plurimis de cauſis innumera vocabula, loquendique rationes Priſcis incognitæ acceſſerunt. Et ut de Græcis verba faciam; multa e Sacro Codice Eruditi, tum verſionis LXX. Interpretum in veteri, tum Scriptorum Apoſtolicorum in novo fœdere Ethnicis ignota hauſerunt: Ex Legibus autem Romanorum plurimas juris voces Græcos accepiſſe, *Baſilica* declarant. Verùm haud confundenda eſt, quod Vir doctiſſimus advertere debuerat, Lingua græca cum ejuſdem pronunciatione. Haud tanta ipſius Linguæ corruptela dicenda, ut ad omnes omninò Græcos pervaſerit. Damus libenter utramque plurimùm fuiſſe immutatam; ſed apud Plebejos, Populique fecem, non ita apud doctos, ingenuoſque homines.

**III.** Græci per ſingula ferè ſæcula Scholas publicas habuerunt.

Hujus rei argumento eſſe poſſunt tot Scholæ, egregiique Doctores, quos omni ferè ætate Græcia, & ipſa Conſtantinopolis habuit. Hanc a M. Conſtantino ſcientiarum Scholis, in quibus docerent præſtantiſſimi Viri, exornatam fuiſſe Auctor eſt Baronius (*a*), eaſque excellentiſſimis Oratoribus, atque Philoſophis refertas magna cum laude memorat Nazianzenus (*b*). Eædem autem eruditionis Scholæ uſque ad Leonem Imperator. cognomento *Iſauricum*, qui iniit Imperium an. DCCXVII. eodem teſte Baronio perdurarunt. Præclariora quodammodo tempore Conſtantii Imperatoris fuerunt Gymnaſia Cæſareæ Paleſtinæ, Alexandriæ, & Conſtantinopoli; ſed cæteris omnibus eminebant Athenæ. Et licèt Julianus Apoſtata, qui poſt Conſtantii obitum Imperii clavum ſolus tenere cæpit an-

(a) *Ad ann.* 330. §. 25.
(b) *Orat. in laud. Baſ.*

an.CCCLXI. vetuerit Chriſtianos docere, diſcereque Ethnicorum diſciplinas; ſicque juraverit (a). *Per Solem mihi clariſſimum, non amplius feram græcis diſciplinis inſtitui maximè impium genus Chriſtianorum*. Hæc tamen prohibitio majore fuit illis incitamento ad græcas litteras excolendas. Lege eundem Baronium ad annum 362. Non minori quidem in pretio fuerunt litteræ Conſtantinopoli tempore Theodoſii Imperatoris anno ſcilicet Chriſti CCCCXXVI. Iſte ſiquidem Princeps Gymnaſium litterarum in meliorem formam reſtituit: vetuitque in primis, neminem publicè docere, aliove in loco Scholas aperire, quàm qui probati eſſent, & ad hoc ipſum munus delecti; eoſdemque *In Capitolii Auditoriis* profiteri voluit. Locus is inſtar veteris Romę a Conſtantino Conſtantinopoli erectus fuit, & *Capitolii* nomine inſignitus, rei litterariæ exercendæ adſcriptus. Voluit etiam præter alia, quæ brevitatis ergo omittimus, ut græcæ facundiæ quinque numero eſſent Sophiſtæ, & Grammatici decem. Sæculo autem ſexto nonne Caſſiodorus Romano Pontifici Agapeto Auctor fuit, ut Romæ publica Sacræ Theologiæ aperirentur Gymnaſia ad Scholarum Orientalium imitationem? Certè idem Scriptor ita teſtatur *in præfa. lib. divin. lect.* Quamvis autem ſub finem potiſsimùm ejuſdem ſæculi Lingua græca, atque latina ob aſſiduos in Italia bellorum motus delabi viſa fuerit; nihilominus ſæculo ſeptimo inſignes Scriptores habuerunt Græci, duos, cæteros præteriens, nominabo: Joannem ſcilicet a ſtudiorum aſsiduitate Philoponum appellatum, qui eruditus extitit Grammaticus, multaque ſcripſit Opuſcula, a Photio in Bibliotheca Cod. XXI. LV. &c., & a Caſimiro Oudino in *Suplem. de Script. Eccleſiaſt.* laudata. Alter verò eſt Georgius Piſides Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, & Carthophylax, a quo Carmen Jambicum in Hexame-

ron,

(a) *In Actis Artemii Mart. apud Baron. an. 362.*

ron, & Hiſtoria rerum geſtarum ab Imperatore Heraclio, conſcripta ſunt. Quin per idem tempus publicæ Scholæ Conſtantinopoli adhuc perſiſtebant. Diximus enim ſupra ex Baronio, eas permanſiſſe ad uſque VIII. ſæculum; quo Leo Iſauricus (*a*) & Scholas eruditionis evertit, & Bibliothecam tricenis, tribuſque millibus onuſtam Libris cum duodecim Doctoribus præclariſſimis, qui abſque mercede Litterarum, & doctrinæ cupidos erudiebant: applicato ad eandem igne combuſſit. Verùm Barda Cæſar Gymnaſia Conſtantinopoli ſedulò aperienda curavit anno Chriſti DCCCLIX., doctoſque homines hinc inde in Urbium angulis latentes, quos Studiorum muneri præficeret; diligenter quæſivit. Philoſophiæ Dux, & Magiſter fuit Leo, Magnus ille Philoſophus ex Fratre Nepos Joannis Patriarchæ: atque ita per eum Principem Scholæ ſunt reſtitutæ Conſtantinopoli. Commendatur etiam in Hiſtoriis Alexius Comnenus Imperator, quòd anno 1118. Scholam Grammaticorum haberi voluit; in qua Pauperes erudirentur: victu tàm Magiſtris, quàm Diſcipulis conſtituto. Nimis longus eſſem, ſi cæterà ſigillatim perſequi vellem: quare ſat erit, recitare hìc verba Cl. Æneæ Sylvii ſæculi XV. Scriptoris, qui epiſt. 131. hæc habet: *Apud hanc Urbem* ( Conſtantinopolim ) *uſque ad noſtrum tempus manſit vetuſtæ ſapientiæ monumentum, ut nemo Latinorum videri poſſet ſatis doctus; niſi Conſtantinopoli aliquandiù ſtuduiſſet*. Quem profectò morem ad VI., & X. ſæculum pertinuiſſe teſtis eſt eloquentiſſimus M. Antonius Muretus, a quo hæc monumentis commendantur. „ Negligitur lingua græca, cujus diſcendæ cauſa Vir ſempiterna laude digniſsimus Petrus Bembus cum adhuc adoleſcens eſſet, in Siciliam profectus eſt, quòd ibi meliores illius Magiſtros eſſe audierat: cum multi illis temporibus eadem de cauſa uſque in Græciam proficiſcerentur, cujus



(a) *Vide Baronium ad annum 726.*

in hac Urbe conſervandæ, aut potius conſerendæ gratia Leo X., cujus nomen apud omnes litterarum amantes in perpetua veneratione eſſe debet; ex ultima Græcia acceſſivit hùc homines eruditiſſimos, & lectam ingenioſorum Adoleſcentum manum. „ Quorſum hæc? fortaſſe inquies Sarpedoni: ut probè intelligas, Græciæ nunquam propemodùm defuiſſe egregios Doctores, atque Magiſtros, per quos græca lingua, ejuſdemque pronunciatio ad nos uſque pervenit; haud certè ut homerica illa, atque platonica, quod ultra damus & Juliano Imperat., & Alexandro Helladio a te laudatis: ſed talis, qualem vel antiquiores Græci ſemper agnoverunt. Optimè in rem noſtram dixit Cicero (a). *Ex filiis ſic eorum Patres locutos eſſe judico, ſic Majores; non aſperè, non vaſtè, non ruſticè, non hiulcè: ſed preſſè, & æquabiliter, & leniter.*

*pag. 6., & 13.*

IV.

Ætate delabi videtur, at eadem manet lingua, ut facies hominis.

Eadem eſt ejuſdemque Perſonæ facies illa, quæ provectiore ætate rugas ſqualida ducit, licet antea vegeta fuerit, atque venuſta. Ita de græca lingua, noſtraque pronunciatione cogita Sarpedoni clariſſime. Rerum viciſſitudine, temporumque diuturnitate utraque eſt aliquantùm immutata, fatemur. Sed eadem illa eſt, quæ a Majoribus ſuis Græci recentiores acceperunt. *Habet*, egregiè Tullius (b), *ut in ætatibus auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas. Quæ quidem apud me ipſum valet plurimùm; nec ego id quod deeſt antiquitati, flagito potiùs, quàm laudo, quod eſt.* Utraque tamen non eadem manſit apud homines populares, & vulgi, ſed adeo immutata fuit, atque corrupta; ut ex illis, niſi decipimur, lingua græca vernacula emanaverit. Iterum audiatur Muretus(c), qui noſtris dictis, ſi qua indigent, lucem affere poteſt. Hæc autem ille. „ Ajunt græcam, lati-

(a) *Lib. 2. de Orat.* (b) *Idem de Orat. 337.*
(c) *Orat. xxii.*

namque linguam jampridem mortuas eſſe. Ego verò eas nunc demum non tantùm vivere, & vigere contendo, ſed, ſi translatione perſtandum eſt; firma valetudine uti, poſtquam eſſe in poteſtate plebis deſierunt. Quandiù enim populari imperio regebantur, ideſt, quandiù penes populum erat, ut ait Horatius, arbitrium, & jus, & norma loquendi aſſiduè agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil ſtabile; unum ſæculum eodem vultu durare non poterant: nunc ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactæ ſunt, & certis a Scriptoribus petuntur, certis regulis, ac præceptionibus continentur; multis jam ſæculis fixæ, atque immutabiles permanent. Si in vulgi poteſtate manſiſſent, hodiè Ciceronem non intelligeremus: quemadmodùm ne Ciceronis quidem temporibus intelligebantur ea, quæ regnante Romulo, aut Numa ſcripta erant; immò verò ipſas XII. Tabularum Leges pauci, qui intelligerent, reperiebantur. Et videmus, quæ vulgari lingua ab hinc quadringentos, aut quingentos annos ſcripta ſunt, hodiè non intelligi.

*Ut Sylvæ foliis*, ait Horatius, *pronos mutantur in (annos)*
*Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,*
*Et Juvenum ritu florent modò nata vigentque.*

Illæ igitur Linguæ quotidiè moriuntur, quotidiè naſcuntur, quæ pendent ex libidine imperitæ multitudinis: quas autem ex populi ſervitute Eruditorum uſus vindicavit; illæ non vivunt tantùm, ſed immortalitatem quodammodò, & immutabilitatem adeptæ ſunt. „

V.

Noſtræ pronunciationis per totam Græciam diffuſæ initium ignoratur: hinc antiquitatem præſefert firmiſſimæ traditionis. *pag.* 19.

Quod pręterea maximè oportet conſiderare, hoc eſt Sarpedoni, a nemine decerni poſſe; ex quo hæc noſtra cæperit pronunciatio: eamque per totam Gręciam etiam num longè, lateque diffuſam eſſe, ut te rectiſsimè docuit P. Thomas Velaſti in Chio Inſula natus, educatuſque; qui inſuper tota Peloponneſo, Archipelago, Sicilia, Apulia, aliiſque Ita-

Italiæ, & Græciæ partibus peregrinatus linguam, & mores Græcorum compertos habet. Cui equidem græco Viro ſuæ Nationis peritiſſimo Germanus quiſque aſſentiri debuiſſet. At vide quantùm te docilitate ſuperamus! Eum nos pronunciandi morem a Græcis accepimus, qui ſub ſæculi XI. initium Cryptoferratenſe Monaſterium a fundamentis excitarunt, quique ab aliis noſtris græci ritus Monachis in antiquiori S. Agathæ (*a*) Cœnobio non longè ab eo loco, qui nunc *la Molara* dicitur ad veteris Tuſculi radices poſito, degentibus; non tam acceperunt, quàm a prima eorum ætate uſurpatum tenuere: quanta verò iidem doctrina, & pietate floruerint; intelligere potes ex noſtra Præfatione *ad Diatribam de Sepulcro Benedicti IX.* Illum nos ſonandi modum ſervamus adhuc, perpetuòque ſervabimus; ut qui omni ferè memoria apud Græcos permanſerit. Tuam contra pronunciationem excogitavit Eraſmus, & duobus ab hinc ſæculis ſcripto divulgavit; quum antea de illa ne ſomniarent quidem Eruditi, græcique homines. Illicò id mihi reponis: Eraſmum eum enunciandi modum reſuſcitaſſe potius, quàm excitaſſe. Ita ne Sarpedoni? Eccur, ſi ita eſt, eodem penè tempore, quo eſt natus, variis oppugnatus fuit libellis? Cur Eraſmus ipſe in colloquiis familiaribus, illo præſertim, quod *Echo* inſcribitur; minimè uſurpavit? Id tamen urges: multis ante Eraſmum ſæculis voces has ἦτα, θῆτα, & ζῆτα non ſecus a Latinis, quàm *eta*, *theta*, *zeta* pronunciatas fuiſſe, cùm ex Alphabeto, quod ex MS. XII. ineuntis ſæculi adfert Mekerchius, tùm ex pluribus locis Auſonii, Martialis, aliorumque Scriptorum. Planè ita res eſt. Maluerunt quippè Auctores illi Orthographiam, Legeſque grammatices ſervare, quàm ſonum exilem a Græ-

pag. 24.

(a) Lege Vitam S. Nili Cœnobii Cryptoferr. Primi Abbatis, & Conditoris a *R. P. Nicolao Balducio*, ex ea, quam jampridem Car. *Sirletus* in Biblioth. Vatic. MS. adhuc aſſervatam; atque ex iis, quas Præſules Cariophilus, & Metius ad dicti Cœnobii MS. Codices conſcripſerant: compoſitam. *pag.* 133.

Græcis adhibitum. Cæterùm ex monumentis longè antiquioribus ſupra allatis cognoſcere proclive eſt, quàm fragili loco hæc tua ſit probatio. Nihilominus juvat MS. a Mekerkio in medium prolato Pſalterium Regis Æthalſtani (*a*) VIII. ſæculo ſcriptum opponere; in quo καθήμενον *Catimenon*, ἀμὴν *amin*, ἤδη *ydn*, καὶ *ce*, κρῖναι *crine*, & propoſitio εἰς quater redditur *is*. Codex verò ampliſſimi Capituli Veronenſis, ut ajunt, in quarti forma, ſæculoque, ut opinio fert, VII. ſcriptus habet *ce* pro καὶ: in reliquis præcepta ſervat grammatices. Quod autem hæc ſcribendi, pronunciandique norma ſæculo etiam XII. fuerit in uſu poſita, a noſtro Godfrido Viterbienſi accipere potes, qui Chronici parte XVI. hæc narrat: *Anno Imperii Theodoſii Junioris triceſimo terræmotus horribilis Conſtantinopoli fuit; propter quem ibi cantatum eſt primitus:* Agios o Theos his criros (ſic) eleiſon himas: *hoc eſt Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis*.

Damus etiam Inſcriptionis exemplar, quod Mediolano nuper Romam tranſmiſſum eſt ejuſdem ferè, ut ſuſpicamur, ſæculi. Quanquam non defuit, qui putaverit, eam Inſcriptionem ad IV., quintumve Chriſti ſæculum pertinere. Cui profectò aſſentiri non poſſumus. Etenim aliquæ ex illis litteris figuræ admodùm novæ, quas lapis ille præſefert; conſpiciuntur etiam eadem penè forma in marmore Cryptoferratenſi, tempore Odoardi Farneſii Cardinalis ampliſſimi poſito anno 1597. Quare potius dixerim cum Illmo D. Marchione Jo: Petro Lucatello ſingulari humanitate, multiplicique ornato eruditione, eam ad ſæculum decimum tertium, quartumve ſpectare. Sic autem ſe habet.

Quam

(a) *Apud Vveſt. Orat. v.*

Digitized by Google



Quam ita exponendam eſſe cenſemus.

*Μάρκος ὁ Λοκατέλλος ἐνθαῦτα ( κεῖται ) δίκαιος , καὶ εὐσεβής .*

*Marcus Locatellus hic* ( jacet ) *juſtus* , *&* *pius* .

Ea affixa eſt muro cujuſdam Templi diruti Abbatiæ, quæ *Pontita* nominatur in Bergomi Territorio. Cujus Abbatiæ auctor fuit Sanctus Albertus Abbas, qui Eccleſiæ Sancto Jacobo Apoſtolo dicatæ, quam etiam num tenent Monachi ſub Regula S. P. noſtri Benedicti; fundamenta jecit anno Domini 861.

Hunc autem Locatellum, qui in Lapide *juſtus*, & *pius* dicitur; fuiſſe ejuſdem nobilis Familiæ D. Marchionis Joannis Petri Lucatelli nihil ambigo. Quum in ſuperiori dictæ Inſcriptionis parte ſtemma gentilitium DD. Lucatellorum inciſum videatur. Alia Inſcriptio relatæ ſimillima ſervatur Mediolani in ædibus ejuſdem Illuſtriſſimi Marchionis alio quidem in loco reperta, non longè tamen, ita putamus, a diruto Templo, cujus mentionem fecimus; & ipſa inventa. Quis autem ſit locus ille, nondùm ſcio.

Sed

Sed ut redeamus ad illud, unde divertimus; notare debes Sarpedoni ornatiſſime, in ea η fuiſſe poſitum loco I, quemadmodùm I pro η, ut ſupra vidimus, non bis, aut ter, ſed pluries etiam ſcriptum eſt. Tandem quæ hactenus diximus, iterum celebri Euſtathii loco in Homeri Iliad. α. confirmare neceſſe eſt: in eo ſiquidem apertis verbis antiqua noſtra pronunciatio defenditur.

Τοῦτο μὲν πάνυ καινότροπον. διὸ καὶ σπάνιοι αἱ τοιαῦται πανταχοῦ παρηχήσεις. ὡς ἐπιτοπλεῖστον γὰρ αἱ παρηχήσεις διαφορὰν ἔχουσιν, οὐ μόνον κατὰ τὴν σημασίαν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν προσφοράν: οἷον τὸ, Εὐπείθει πείθοντο. τὸ δὲ πάντη ταυτοφώνους εἶναι τὰς παρηχήσεις σπάνιον ἐστὶ μεμετρημένον παρὰ τῷ Ποιητῇ, οἷον ἐστὶ τὸ, —— χόλος δέ μιν ἄγριος ᾕρει. Ἥρη δ' οὐκ ἔχαδε στῆθος χόλον. τοιοῦτόν τε. καὶ τὸ πρὸ ὀλίγου ῥηθὲν, —— Ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες. ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον. καὶ γὰρ ἐστὶ τὸ πίθεσθε, μέσος ἀόριστος προστακτικὸς πληθυντικὸς, καὶ τὸ πείθεσθαι, ἀπαρέμφατον, ἐν διαφόρῳ γραφῇ τὸν αὐτὸν ἦχον ἔχουσι. καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς τὴν τῆς Ἥρης κλῆσιν διὰ τοῦ δύο η, καὶ τὸ τῆς Ἴριδος διὰ τοῦ δύο ι, ἐγγὺς ἀλλήλων τίθησι κατὰ τοιαύτην παρήχησιν, παντελῶς μὲν ἠχοῦσαν ταυτὸν, ἀνομοιότητα δὲ ἔχουσιν κατά τε τὴν ἔννοιαν καὶ κατὰ τὴν γραφήν. φησὶ γάρ: Ἶρι θεὰ, τίς γάρ σε προέηκε; Ἥρη με προέηκε. τούτου οὖν εἴδους ἐστὶ καὶ τὸ, οὐκ ὀφθήσῃ κενὸς ἐναντίον μου, ἀλλὰ ἄλλον τρόπον καινός. καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα κενὸς καὶ καινὸς τὰ αὐτὰ κατὰ τὸν ἦχόν εἰσι πλὴν τὸ μὲν πρῶτον διὰ τοῦ ἐψιλοῦ γράφεται, τὸ δὲ δεύτερον τὸ διὰ διφθόγγου γραφὴν ἀπηνέγκατο. καὶ τοῦτο μὲν τοιοῦτον παρηχήσεως εἶδος. ταυτοφωνίαν ἔχον παντελῆ, διαφορὰν δὲ φέρον κατὰ μόνην γραφήν.

*Hoc ſanè valde novum eſt: quocirca iſtiuſmodi agnominationes ubique raræ ſunt.* (Hunc Homeri verſum: Τὸν καὶ ὑπέδδεισαν μάκαρες θεοὶ, οὐδ' ἔδησαν. Notat hìc Euſtathius). *Plerumque enim* Παρηχήσεις *differentiam habent non ſolùm ſignificatione, ſed etiam*

*etiam prolatione: ut exempli cauſa*, Εὐπείθει, πείθοιντο. *Id verò, agnominationis prorſus eundem ſonum habere, rarum eſt, & metris accommodatum apud Poetam, vel moderatè uſum: quale eſt hoc,* —— χόλος δέ μιν ἄγριος ἥρει· Ἥρη δὲ &c. *ejuſmodi quoque eſt illud, quod paulò ante dictum eſt,* Ἀλλ' πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον. *Nam &* πίθεσθε, *medius aoriſtus ſecundus imperativi modi pluralis numeri, &* πείθεσθαι, *infinitum, in diſſimili ſcriptura eundem ſonum habent. Et in his quæ deinceps ſequuntur rectum ſeu nominativum* τῆς Ἥρης *per geminum* η, *& vocativum* τῆς Ἴριδος *per geminum* ι, *juxta ſe invicem ponit ſecundum ejuſmodi agnominationem, quæ omninò ſonet idem, & diſſimilitudinem verò habeat & ſenſu, & ſcriptione: dicit enim* Ἶρι θεά, τίς γὰρ σε προέηκε; Ἥρη με προέηκε. *Hujus generis eſt & illud* οὐκ ἐφθήση κενὸς ἐναντίον μου ἀλλ' ἄλλον τρόπον καινός. *Nam & hic* κενὸς, *&* καινὸς *ſono eadem ſunt. Verùm primum quidem ſcribitur per* ε, *alterum verò per diphthongum ſcriptionem tulit. Atque hoc genus agnominationis tale eſt: quod eundem prorſus ſonum habeat; differentiam verò adferat ex ſolo ſcribendi modo.*

Quocumque igitur te convertis Sarpedoni, tuam invenis malè natam pronunciationem, nulliſque firmis munitam rationibus.

VI.

Apud Heterodoxos noviſſima pronunciatio magis viget, quàm πατροπαράδοτος.

Illud etiam accedit, quod ſi Collegii Græci Alumnis, quibus opuſculum tuum inſcripſiſti, eam, quod Superi avertant, perſuaſeris; iiſdem in Patriam, ſuaſque domos reverſis; ipſorum quidem Parentes potius apud Heterodoxos, qui illam pronunciandi rationem a tempore Eraſmi potiſſimùm ſequuntur; quàm Romæ eos litteris imbutos fuiſſe credent; atque ægerrimè ferent, vehementerque admirabuntur; linguam, quam a Nutricibus cum lacte biberant, tam temerè deſeruiſſe: quemadmodùm Simon Por-

Portius (*a*) græcarum litterarum conſultiſſimus olim Viros doctos miratus eſt, in tam audacem, inſolentemque mutationem incidiſſe. Ait enim: „ Quod attinet ad pronunciationem, miror quoſdam doctos licet, & non vulgari præditos eruditionis varietate, eo temeritatis deveniſſe; ut germanam, & integram, ac πατροπαράδοτον recentiorum Græcorum pronunciationem, chimæricis neſcio quibus, ducti conjecturis, totis viribus auſi fuerint, quàm ſanè temerario judicio, ſic irrito conatu pervertere, ac deturpare. Profectò ſi Græcis maternæ linguæ flexiones, & una cum lacte acceptos, hauſtoſque ſonos, & accentus puros, & intactos audes denegare; cur extero, cur Barbaris eos concedas? cur Extero cuique? qui aliarum Nationum accentus ſuo, nativoque accomodat, toto, ut ajunt, cælo a recta earundem Nationum aberrans pronunciatione, atque deflectens? „

## §. *XII*.

POſtremò ſi Corollarium, quo univerſa diſputatio tua tàm bellè concluditur; attentè conſiderem; multis illud difficultatibus affectum, & manifeſtæ propemodùm ἀντιλογίᾳ obnoxium eſſe reperio. Etenim talem inibi ſententiam fers; ut quis eam amplectetur pronunciationem, quæ vel in Academia, ubi ſtudiis operam navat, uſu recepta eſt; aut ſcopo, quem ſibi præfixit, fuerit accomodatior. Igitur ſi in ea Academia non tua, ſed noſtra ſervetur pronunciatio; fueritque præterea ſcopo, quem quis ſibi præfixit, accomodatior: non tua Sarpedoni, at noſtra tum pronunciatio tenenda erit. Ad ea iſtud addis: „ Profectò ſi quis non intelligere ſolùm, ſed & loqui græcè vellet, is ad receptum inter Græcos loquendi morem accomodare omninò ſe deberet, ut intelligere- tur,

I. Sarpedonii Corollarium refellitur.

L

(a) *In Gram. græc. L. vul. ir. p. 3.*

tur, & intelligeret. „ Sed mos ille loquendi inter Græcos receptus, eſt ipſiſſima noſtra pronunciatio; (quod tute P. Velaſtio diſputationis tuæ pag. xx. meritò conceſſiſti) ergo noſtra adhuc non tua enunciatio uſurpanda eſt. Et iſta in medium proferre poſt longam diſputationem, qua eandem convellere conabaris; nonne ἀντιλογία apertiſſima eſt? Pergo reliqua, quæ eodem loco nobis expoſuiſti. „ Sin verò, quod plurimi faciunt, eo tantùm conſilio in hoc ſtudium quis voluerit incumbere, ut Scriptores legere, Linguamque latinam plenius addiſcere poſſit; huic eam, quam hìc propugnavi, conſultam mallem; utpote faciliorem, veriorem, cum latino ſermone magis conſentientem, noſtriſque etiam auribus multò, quàm illa alia, jucundiorem. „ Hæc autem tua dicta hujuſmodi ſunt Sarpedoni, ut contra Eruditorum opinionem omninò eſſe videantur. Ecquem enim fugit, non tot, quin plurimos exiſtere, qui & Scriptores legunt, & Linguam latinam pleniſſimè addiſcunt ſine tua noviſsima pronunciatione? quis Viros græco, latinoque ſermone politiſsimos recenſeat, qui ſimul a tuo loquendi more vehementer refugiunt? Inſuper velit quis, præter hanc ſtudiorum, quam proximè dixiſti, exercitationem, intelligere, & loqui græcè: utique tunc ex ſententia tua non ſolùm quam propugnaſti, ſed & noſtram diſcere cogitur pronunciationem, ut intelligere, & intelligi queat. Ecce autem tuæ diſputationis fructus: nimirùm non laboris, difficultatiſque diminutio, at novi, moleſtique oneris ſuſceptio; quod ſanè onus non ſuſcipiendum arbitror, tum quia minimè neceſſarium eſt ad ea, quæ hactenus dixiſti; tum etiam potiſsimùm, quia tua pronunciatio nequaquàm noſtra facilior: quin per eam in Librorum lectione, & ſermone familiari plurima confunduntur. Quid enim Sarpedoni diſtinguis inter vocabula hæc ἔθη, & ἤθη in hoc Plutarchi loco περὶ κόλακος, καὶ φίλου dicen-

centis? Ἀρχὴν φιλίας ἔφαμεν εἶναι τοῖς πλείστοις τὴν πάντα ἐπιεικῶς ἀσπαζομένην ἔθη, ϗ ἤθη. Quomodo Linguæ græcæ Tyro in vocibus his, aliiſque plurimis πένητος, & πένητα poſterius magis η, quàm prius eſſe cognoſcet? Quomodo, ſi facilior tua pronunciatio ſit, dignoſcetur confuſio harum vocum apud Tullium in Epiſt. ad Pætum: nimirùm *bini*, & βινεῖ? Tu enim βινεῖ legis *binei*, at *bini*, quod latinum eſt; *beinei* a te legi debet: nam Mekerco, quem ſequeris, auctore i apud veteres Romanos idem ſonuit, quod *ei*: ergo admodùm diſtinguuntur, & tamen *bini* cum βινεῖ confundi volunt Eruditi. Quod ſi dicas, β pronunciandum ut b; & ideo *bini*, & βινεῖ confundi: non tamen, dicam ego, omnem tollis difficultatem, immò in majorem incurris. β enim, uti Gregorius Martinus probat in Syllog. græc. pronunc. pag. 588. priſcis Romanis ſonabat ita aſpiratè, ut vox illa eſſet quaſi *bvini* diſſyllabum. Quæ igitur tuæ pronunciationis facilitas? Neque ea verior noſtra pronunciatione dicenda eſt, utpote nova, non primigenia, cujuſque Auctorem, Eraſmum dico Roterodamum, penè puduit eam excogitaſſe. Siquidem Cl. Joannes Michael Langius (*a*) narrat: *Eraſmum cognita fraude* (in quam a Rutgero Reſchio deductus fuit) *nunquam ea pronunciandi ratione poſtea uſum, nec amicis, quibuſcum familiariter vivebat, ut eam obſervarent; præcepiſſe.* Contra verò noſtram græci homines, ut ſupra pluribus oſtendi, ſemper uſurparunt; eandemque a Majoribus acceptam annis LV. ante captam Urbem Conſtantinopolim Manuel Chryſoloras, Theodorus Gaza, Georgius Trapezontius, & alii in Italia propagarunt: teſte Eraſino (*b*) Schmid *in diſcurſu de græca pronunciatione contra* Νεόϛερον. Quod autem illa cum latino ſermone magis conſentiens

L 2 non

(a) *Tom. 2. Syllog. Script. L. G. pronunc. pag. 629.*
(b) *Ibid. pag. 674.*

non ſit, probavimus nuper pluribus in locis Grammaticorum Latinorum auctoritate. Quibus animadverſionem hanc Ciceronis adjicere mihi libeat. Is in *Oratore* hæc habet. *Quod græcè ſcribitur* Πύῤῥος, *Purrhum dixit Ennius*, & *quod in græco eſt* Φρύγες *Fruges reddidit Ennius* .... *Phryges*, & *Pyrrum aurium cauſa dicimus*. Quare? Quia græca vocalis *υ* mollius, & dulcius ſonat, quàm latina v, qua Ennius uſus eſt. Qui ergo voces iſtas Purrhos, & Phruges pronunciaret, cum Ennio mugiret potius, quàm græcè, latinèque loqueretur. Atqui ex tuæ pronunciationis inſtituto Purrhos, & Phruges eſſet enunciandum; quod certè Græcis, Latiniſque auribus minimè conſentaneum eſt. Secus & y Latinorum ut v proferatur neceſſe eſt. Et Cyrus *Curus*, & Syrus *Surus*, ut latinus ſermo cum græco conſentiat; dicere debebimus. Unde

*Omnia jam fient, fieri quæ poſſe negabam:*
*Et nihil eſt, de quo non ſit habenda fides.*

II. Ex quibus etiam fit, ut pronunciatio tua, non, ut eam nominas, noſtra jucundior ſit; ſed inſuavis, & dura redditur, quia ab oris diſtortione, variiſque κακοφωνίαις nequaquàm aliena. Hinc, ut exemplum aliquod ponam, ſi more tuo vocabulum hoc enunciem ϛοιχεῖον *Stoicheion* ſonabit; & tibi dulcius ſcilicet effertur verbum hoc ϛοιχειδεῖς *Stoicheideis*: o voces ſuaviſsimas, o jucundam pronunciationem! At ego cum Scaligero *libr.* 1. *de cauſ. Ling. Lat. cap.* 8. omninò cenſeo: *Non eſſe nunc laborandum, ut ora diſtorqueantur ad explendam ejuſmodi ambitionem*. Equidem miſerrima ambitio eſt, ex hujuſce incertiſſimæ pronunciationis novitate rumuſculos imperitorum hominum aucupari. Quapropter multo tibi præſtat *Reuchlinianam* ſeu veterem, quàm *Eraſmicam*; ſeu novam tenere pronunciationem. Illa enim a *Joanne Reuchlino* Phorcenſi, qui anno 1521. mortem obiit; no-

Digitized by Google

nomen accepit : quòd hic vir doctiſsimus primus fuerit , qui inter Germanos Linguæ græcæ notitia adeò excelluerit ; ut eo audito in Græcia natus Argyropylus exclamaſſet : *Græciam Alpes tranſvolaſſe*. A quo etiam Germanos tuos græcis litteris imbutos veterem , quam defendimus pronunciationem , ſumpſiſſe teſtatur Cl. Michael Lagius loco citato . Hæc autem ab Eraſmo , ut ſupra vidimus , inſigniter decepto , initium ducit .

Hæc habui de Græcorum pronunciatione , quæ curſim , & non firma utens valitudine dicerem . Illud autem te magnopere oro , atque obſecro ; ut ea in bonam partem accipias , cumque Michaele Joſepho Morei nobis amiciſſimo , præclariſſimi ingenii Viro , atque generali Arcadiæ Cuſtode optimo conferas ; poſtuleſque ab eodem , an Græcæ , Latinæve Linguæ vitiis , non græcum hominem , non latinum ; ſed Barbaros quoſque mederi , æquum ſit . Ἔρρωσο , Sarpedoni clariſſime , καὶ εὐφήμισον .

*F I N I S.*

## ERRATA CORRIGE

| ERRATA | CORRIGE |
|---|---|
| Pag. 7. Et ſibi velit. | Et quid ſibi velit. |
| Pag. 9. In ſua Palæog. | In ejus Palæograph. |
| Pag. 13. In ejuſmodi Iliad. | In ejuſdem Iliad. |
| Pag. 15. (in nota) moniſyllabon. | monoſyllabon. |
| Pag. 20. Nicetus quidem. | Nicetas quidam. |
| Pag. 25. *ἐπικαλούμενι*. | *ἐπικαλούμενοι*. |
| Ibid. lin. 12. *pvthicas*. | *pythicas*. |
| Pag. 48. Græcorum I. | Delenda hæc I. |
| Pag. 67. E vocabilibus. | E vocalibus. |
| Pag. 68. Abudarent. | Abundarent. |
| Pag. 80. Α'λλ'πίθεσθε. | Α'λλὰ πίθεσθε. |

MAG 20 11 176